De Sophoclis codicibus.

Dissertatio inauguralis philologica

quam

ad summos in philosophia honores

ab

amplissimo philosophorum ordine

in

Universitate Fridericiana Halensi cum Vitebergensi

consociata

rite capessendos

a. MDCCCXC

scripsit

Carolus Meifert

Borussus Occidentalis.

Halis Saxonum,

MDCCCLXXXXI

Typis Kaemmererianis.

Paulo Voelkel

Collegii Regii Francogallici Berolinensis

professori

amicissimo suo.

Paulo Voelkel

Collegii Regii Francogallici Berolinensis

professori

amicissimo suo.

I.

De codice Laurentiano XXXII, 9. (L.)

1. Historia codicis L.

Renascentibus in Italia litteris exeunte saeculo XIV et ineunte XV cum studia ad Graecorum et Romanorum artem et litteras spectantia florerent, incredibilis veterum scriptorum exemplaria evestigandi colligendique exstitit ardor. Illis temporibus ut Franciscus Poggius [1380—1459] Italiam, Helvetiam, Galliam, Germaniam peragravit et permultos Latinorum scriptorum codices coëgit, ita ad Graecorum scriptorum libros indagandos atque ad linguam Graecam perdiscendam Joannes Aurispa [1370—1459], Guarinus Veronensis, Franciscus Philelphus a. 1419/20 in Graeciam ipsam et Constantinopolim, sedem celeberrimam Byzantinorum grammaticorum profecti sunt. Aurispa solus a. 1423 non minus quam 238 codices in Italiam transtulit et ex ruina imperii orientalis servavit. Aurispae quoque debemus codicem illum antiquissimum et optimum, septem tragoedias Sophoclis continentem, quem iam Aurispa, priusquam in Italiam rediret, Nicolao Niccolo, amicissimo suo, Florentiam misit.*)

*) cf. Voigt, die Wiederbelebung des classischen Altertums 1880 I p. 264 sqq. J. A. Symonds, Renaissance in Italy: The Revival of Learning 1882, p. 178. 267. — Perperam coniecit Dindorfius [Philol. 18 (1866) p. 55] Laurentianum cum multis aliis codicibus a Joanne Lascari iussu Laurentii Medici Byzantii emptum et in

Qui liber excellentissimus Niccolo a. 1437 mortuo a Mediceis emptus post varias fortunae vicissitudines a Petro Victorio a. 1571 bibliothecae Mediceae sive Laurentianae traditus est, in qua etiam nunc asservatur, quamobrem Mediceus (M) vel Laurentianus (La. vel L.) ab editoribus appellatur. Est autem in bibliotheca Laurentiana plutei XXXII codex nonus.

2. De codicis L collationibus.

Liber L ad Sophoclem recensendum primum a Bernardo Junta in secunda editione Juntina a. 1547, deinde a Petro Victorio a. 1557 adhibitus posterioribus temporibus longa oblivione obruebatur. Anno demum 1820 librum illum vetustissimum Petrus Elmsleius primus summa qua par erat diligentia contulit eiusque praestantiam cognovit. „Sive antiquitatem spectes sive bonitatem, primus est Laurentianus A“, sic primus recte iudicavit Elmsleius in

Italiam tralatum esse. cf. Aurispae Epistola edita ab H. Keil. Halis 1870. — cf. Traversarii [1386—1439] Latinae Epistolae Flor. 1759. lib. VIII ep. VIII ad Niccolum scripta anno 1424 [ut docuit Keil. l. c.], quam protulit van Heusde [praef. Aesch. Agam. p. IV]: „Heri vesperi posteaquam ceperam scribere at te, redditum est mihi a Pantaleone volumen illud eximium ad te ex Byzantio delatum. Quod sane ut vidi, facile a me obtinuit, ut, omissa cura, in se animum oculosque converterem. Est enim eximiae pulchritudinis et dignum sane quod in bibliothecam tuam iampridem immigraret. Continet septem tragoedias Sophoclis, sex (!) Aeschyli, Argonautica Apollonii in libros quattuor distincta, in membranis literisque gratissimis et quae, pro antiquitate sua, meo quidem iudicio, ante sexcentesimum annum (!?) exaratae sunt. Latitudo voluminis huiusce folii aequat latitudinem: longitudinem duobus hoc digitis superat. Habet per totum in marginalibus notabilia plurima et perutilia, compositissimis litteris, atque ex nobilissimis auctoribus sumpta. — XXXIX lineis [non accurate dictum] quaque pagina signatur; folia omnia CCLXVI (?) sunt. Atque ut totum breviter explicem, nunquam poeticum aliquod volumen formosius vidi. Graecanicae sordes nusquam fere libro illi obfuerunt, sed comptus satis ac nitidus perstitit. Aurispa noster in hoc profecto amicissimi viri implevit munus, quod tanta illi cura fuit, ut volumen ipsum in tuas deveniret manus.“

praefatione ad Oed. Colon. p. III, quam unam modo fabulam a. 1823 edere ei contigit. Cum vir optime de Sophocle meritus a. 1825 diem supremum obiisset, reliquarum sex tragoediarum lectiones Laurentiani aliorumque librorum e schedis eius a Gaisfordio in editione a. 1826 Oxonii publicatae sunt. Sed Elmsleius, ut intra breve tempus multa praestiterat, ita, ut fert natura rei difficillimae, cum scripturae minutias neglexerat, tum non diversorum qui in libro versati sunt correctorum manus ac ne diorthotae quidem qui dicitur correctiones discreverat. Oedipum Tyrannum igitur a. 1848 denuo accuratius inspexit et Elmsleii collationem supplevit Gust. Wolffius [Mus. Rhen. IX (1854) p. 118 sqq.]. Totum deinde codicem singulari diligentia a. 1850 Frid. Duebnerus excussit, cuius collatione Guil. Dindorfius in editione tertia Oxoniensi a. 1860 usus est. Post Duebnerum librum illum L. vel partes eius ad edendas Sophoclis tragoedias saepius viri docti examinaverunt non multum proficientes: Electram fabulam in Ottonis Jahnii usum Hugo Hinckius*), Trachinias a. 1876 Subkoffius**) contulit, totum codicem denuo a. 1879—81 Campbellius***), a. 1882 Jebbius†), nuper Schubertus perscrutati sunt.

Minorem curam viri docti ad scholia contulerunt. Scholia enim vetera, eadem aetate qua verba poetae in Laurentianum illata, quae segreganda sunt ab illis recentissimis scholiis vel glossis inde a saec. XIII usque ad XVI additis, primum a. 1518 ex apographo neglegenter facto a Joanne Lascari Romae edita sunt, quare scholia Romana prioribus temporibus nominabantur. Principem illam editionem nihil mutans iteravit Brunckius a. 1786. A. 1820 Elmsleius

*) Soph. Electra ed. O. Jahn. Ed. III cur. Ad. Michaelis. 1884.

**) Soph. Trach. rec. Subkoff. Mosquae 1879.

***) Soph., The plays and fragments ed. by L. Campbell. Oxford vol. I 1871, ed. II 1880. vol. II 1881.

†) Soph., The plays and fragm. by R. C. Jebb. Cambridge. I Oed. Tyr. 1883. II Oed. Col. 1885. III Antig. 1888.

scholia illa antiqua denuo ex L. accurate exscripsit, quae post obitum eius Gaisfordius praefatus a. 1826 Oxonii edidit. Supplementum huius editionis a Dindorfio a. 1852 Oxonii emissum est. Qui viri docti cum hic illic nonnulla neglexissent, Petrus Papageorgius scholia vetera denuo accuratius contulit et a. 1888 edidit.*)

3. De codicis L imaginibus.

Melius quam ex collationibus naturam atque indolem Laurentiani ex imaginibus cognoscimus, quae novissimis temporibus prodierunt. Effigiem codicis eius partis, quae Aeschylum continet, primus R. Merkelius typis praebere conatus est**), omnibus viris doctis iure improbantibus, cum scripturae proprietates, liturae, adnotationes a variis manibus factae typis nostris exhiberi non possent.***) Specimina foliorum singulorum solis ope facta dederunt Dindorfius in editione scholiorum Aeschyleorum [Choeph. v. 368—411], Ad. Michaelis in Jahnii editione secunda Sophoclis Electrae [v. 357—404], Wattenbach et de Velsen in „Exemplis codicum Graecorum“ [tab. XXXII], Vitelli et Paoli in „Corpore facsimilium Graecorum et Latinorum codicum Florentinorum“ †). Optimum autem subsidium Laurentiani naturam perspiciendi paravit Societas Londinensis, cui nomen est „Society for the Promotion of Hellenic Studies“,

*) Scholia in Soph. tragoedias vetera e codice L. denuo collato ed. Petrus N. Papageorgius. Lips. 1888. cf. idem, Kritische und palaeographische Beiträge zu den alten Sophocles-Scholien. Lips. 1881. Codex Laur. von Sophocles und eine neue Collation im Scholientexte. Annal. Philol. Suppl. XIII (1884) p. 401—440.

**) Oxonii 1871. cf. eiusdem Progr. Quedlinburgense 1871.

***) cf. Aeschyli Sept. adv. Theb. ex rec. G. Hermanni ed. Ritschelius. Lips. 1875 praef. VII sqq. — R. Schöll „Zum codex Mediceus des Aeschylus“ Hermes XI (1876) p. 219 sqq. — F. Heimsoeth „Epistola Florentina de codice Laur. IX plut. XXXII [Ind. schol. hib. Bonn 1876] p. 14.

†) Collezione Fiorentina di facsimili paleografici greci e latini illustrati da Girolamo Vitelli e Cesare Paoli. Firenze 1884. fasc. I tab. IX. Aesch. Pers. 518—571.

cum totam illam codicis partem, quae Sophoclis septem tragoedias exhibet, solis ope exceptam a. 1885 ederet*). Quod facsimile summa cura confectum, etiamsi rasuras et atramenti diversitatem ars photographica haud plane imitari potuit, tamen omnes litterarum ductus et manuum varietatem tanta perspicuitate repraesentat, ut a viris doctis, qui L. ipsum suis oculis inspexerunt, codici ipsi simillimum existimetur.**) De omnibus igitur, quas tractavi Laurentiani lectionibus, imprimis de quibus inter viros doctos dissensio est, facsimile illud consului.

4. Descriptio codicis L.

Codex L., cuius externum habitum accurate Bandinius descripsit***), membranis constat 264 formae quadratae maioris, primo loco praebet (fol. 1—118) Sophoclis septem tragoedias hoc ordine: Aiacem, Electram, Oedipum Tyrannum, Antigonam, Trachinias, Philoctetam, Oedipum Coloneum. Sequuntur in 84 foliis [fol. 118—202] Aeschyli septem fabulae: Persae, Agamemnon, Choephori, Prometheus, Eumenides, Septem, Supplices, postremo in reliquis 62 foliis [fol. 202—264] Apollonii Rhodii Argonautica [libri IV].

Dignum memoratu videtur, Sophoclis fabulas in quattuordecim plenis quaternionibus octonorum foliorum sex foliis additis, Aeschyli tragoedias in decem plenis quaternionibus

*) Facsimile of the Laurentian Manuscript of Sophocles, with an introduction by E. M. Thompson and R. C. Jebb. London 1885.

**) cf. Jebb, Oed. Col. 1885. Introduction p. XLV „In 1882 I collated the Laurentian manuscript at Florence, and I have now used the facsimile during several months of minute work on the text of this play [O. C.] in the course of which I have had occasion to test it in every line, and in almost every word. Having had this experience, I can say with confidence that, in my opinion the autotype facsimile is, for an editor's purposes, equivalent to the manuscript."

***) A. M. Bandinius [1786—1800] Catalogus codicum mss. bibliothecae Mediceae Laur. II. p. 132—134, quod iteravit Guil. Freund, Triennium philol. I p. 124—126. — cf. J. Franz, des Aeschylos Oresteia, griech. u. deutsch. Leipz. 1846 p. 304 sqq. C. Prien. apud Ritschelium in praef. ad Aesch. Sept. p. XI sqq.

octonorum foliorum quinque foliis additis, Apollonii Argonautica in novem plenis quaternionibus octonorum foliorum duobus foliis adiectis exarata esse. Opera igitur uniuscuiusque trium poetarum seorsum in recenti quaternione incipiunt. Quae res eam ob causam ita instituta videtur, ut, si quando trium poetarum opera discernere placeret, facilius id fieri posset. Ex iis enim, quae infra disputabimus, satis apparebit, librum L. a primo initio tres poetas complexum esse.

Nihil tribuendum videtur numeris, quibus folia codicis in superioris marginis angulis signata sunt et quos duplices aliquot locis invenimus. Folia enim uniuscuiusque trium poetarum non solum seorsum numerata sunt, sed Sophoclis foliorum numeri posterioribus temporibus etiam in foliis, quae Aeschylum et Apollonium exhibent, continuati sunt. Numeri arabicae quam dicimus et recentioris formae posteriorem originem prae se ferunt et nullius momenti sunt ad aetatem codicis definiendam. Antiquior numerandi modus, qui poetas seorsum tantum respicit, eo tempore factus est, quo liber L. iam integer erat, alteri numeri totum per librum scripti et nonnunquam oblitterati tot folia signant, quot etiam nunc habemus.

Iacturam enim duorum quaternionum passus, — exciderunt quaternio duodevicesimus totus et undevicesimi interiora sex folia —, nunc caret codex versibus Aeschyli Agamemnonis 298—1019 et in extrema eadem fabula 530 versibus [v. 1114—1644], item Choephororum initio [v. 1—10]. Lacunam illam iam antiquis temporibus, priusquam codex a. 1423 in Italiam translatus est, accidisse, certissime ex epistola Traversarii colligimus, qui eundem fere foliorum qui hodie superest numerum et sex tantum Aeschyli fabulas in Laur. exstantes commemorat, Agamemnonem nimirum et Choephoros unam fabulam existimans. Complura deinde Aeschyli apographa saec. XV ex L. descripta iisdem lacunis laborare videmus [ut cod. Guelferb. 88], unde apparet, illa Laurentiani folia saec. XV iam intercidisse.

Praeterea adnotandum est, duo prima folia libri L, in

quibus Aiacis v. 1—154 scripti sunt, non solum in exterioribus marginibus decurtata esse, ita ut scholia nonnulla ad illos versus adscripta perierint, sed etiam permultas versuum et praecipue scholiorum litteras oblitteratas praebere.

5. Textus codicis L. De manu prima.

In singulis foliis codicis lineae tricenae octonae a librario in adverso membranarum latere instrumento praeacuto ita impressae sunt, ut in averso quoque latere animadverti possent et in utraque pagina regulae essent, ad quam textus scriberetur. Textum ipsum minusculis litteris hic illic uncialibus intermixtis diligenter a manu in libris exarandis manifesto exercitatissima in mediis paginis scriptum videmus. Magnum spatium in exteriore, minus in interiore margine, ante versuum initia et post eorum exitus, scholiis destinatum et duplicibus lineis a superiore margine in inferiorem vergentibus a textu separatum est. Amplum quoque spatium in superiore et in inferiore margine ad scholia scribenda vacuum relictum est, priore loco duabus lineis, altero loco tribus lineis eam ob causam ductis. Saepenumero autem librario lineae textui designatae non sufficiebant et quotienscunque scholia minora tantum ad poetae versus adscripta animadvertit, membranis parsurus spatium superioris et inferioris marginis scholiis addendis constitutum poetae verbis complevit. Unde factum est, ut versuum numerus in singulis paginis fluctuet et in fabularum tantum initiis et in chori carminibus, ubi scholia abundabant, librarius intra textus fines permaneret, aliis autem locis scholia exilia exhibentibus scholiorum spatium praeoccuparet et numerum triginta octo versuum initio constitutum saepe etiam decem versibus excederet.*) Qua ex codicis indole id quidem extra omnem dubitationis aleam positum videtur esse, quod permulti viri docti usque ad

*) cf. Thompson, Facsim. p. 7: „In one page only [fol. 105 a] does he fail to use the full number of close-ruled lines; and in one page only [fol. 109 b] does he write the exact number.“

hodiernum diem pertinaciter negaverunt*), librarium ex archetypo scholiis iam instructo textum descripsisse. Neque enim alio modo illa textum et scholia disponendi ratio, facsimili demum ab Anglis edito luce clarius patefacta, expediri potest, nisi ut librario exemplum scholiis adornatum propositum fuisse statuamus.

Viri docti, qui totum librum L. examinaverunt, imprimis Vitelli et Paoli**), alteram manum Sophoclis tragoedias, Persarum Aeschyli partem priorem [vv. 1—705, i. e. totum Aeschyli quaternionem primum], Apollonii denique Argonautica, alteram manum Aeschyli reliqua, i. e. mediam codicis partem exarasse dicunt.***) Duas autem manus aequales esse et apographum ex eodem archetypo transscripsisse omnes arbitrantur. Itaque cum inter utrumque librarium fere nihil interesse videatur et quaestio, aliis indiciis deficientibus, nostris adiumentis dirimi nequeat, in sententia illa a multis comprobata acquiescendum puto, praesertim cum illa controversia disputationem nostram ad Sophoclem solum pertinentem non tangat. Si verum est illud iudicium et primum librarium sive labore defatigatum sive aliis rebus impeditum, cum Aeschyli primum quaternionem totum confecisset, alter excepit Aeschylique reliquas fabulas transscripsit, primus denique

*) cf. Dindorf., Soph. ed. III Oxon. 1860 I p. XIV: „Codex Sophoclis Aeschylique L. a librario sine scholiis scriptus, praeeunte, ut conicere licet, archetypo, quod ipsum quoque scholiis caruisse probabile est, quae postmodum διορθωτής ex alio exemplari sua manu adiecit." — cf. Nauck., Annal. Philol. 85 (1862) p. 162 sqq. L. Schumacher, Quaest. critic. Sophocl., diss. Jen. 1868. Seyffert, Quaest. crit. de codd. Sophoclis recte aestimandis, diss. Hal. 1863.

**) Collezione Fiorentina fasc. I, 1884: „Noi crediamo cioè che il testo del Sofocle, dell' Apollonio Rodio e dell' Eschilo fino a Pers. 705 siano della stessa mano, che il resto dell' Eschilo sia d' un' altra mano, e che ad una terza siano dovuti gli scolii antichi, la vita d' Eschilo e i fogli aggiunti dell' Apollonio."

***) Specimen huius scripturae, quae magis incomposita et tenuior et paulum inclinatior est, dederunt E. A. Bond et E. M. Thompson, Facsimiles of ancient mss. edited for the Palaeographical Society. [tab. 83].

scriba Apollonium exaravit, id quidem apparere videtur librum L. iam ab initio omnium trium poetarum opera et hoc ordine, quem nunc habemus, complexum esse.

Librarius, qui Sophoclis fabulas in L. scripsit, multos errores a se commissos, simulatque animadvertit, sive inter scribendum, sive cum singulas paginas aut fabulas aut totum opus relegeret, archetypo denuo inspecto correxit et nonnullos versus hic illic omissos inter lineas vel in margine supplevit. Unde sequitur, ut his manus primae correctionibus maior fides habenda sit, quam iis quae primo scripsit.

6. De primi librarii aetate.

Ad aetatem librarii explorandam ansas dat certissimas, quod ille iam accentus, spiritus, distinctionis notas semper, compendia fere nulla scripsit. Iota, quod subscriptum dicitur, adscriptum in L. videmus, quod ex uncialium litteratura servatum magnam indicat antiquitatem. Litterae sunt formae minusculae antiquioris, quae ex uncialibus orta inde a saeculo nono uncialium loco in libris mss. adhibebatur.*) Itaque Laur. noster in Catalogo vetustissimo bibliothecae Laurentianae**) saeculo X attributus est probante Bandinio aliisque permultis. Novissimis temporibus Thompsonus recte observavit [Facsim. p. 7], litteras in L et supra lineam, ut hodie scribere consuevimus, et infra lineam, ita ut de linea quasi dependerent, et transversa linea scriptas esse. Librarii autem, ut iudicat vir ille doctissimus, litteras saec. IX in linea ipsa, ut nos ponere solebant, saec. X infra lineam scribere incipiebant, proximis temporibus saepe utraque scriptura promiscue utebantur. Exeunte autem saeculo XI litteras infra lineam scribendi ratio usitatissima fuit. Quibus causis adductus Thompsonus Laurentiani scribam priori saeculi XI dimidio vindicandum esse putat, quod iudicium maximam habet probabilitatem.

*) cf. Blass, apud Iw. Müller, Handbuch d. class. Altertumswiss. I p. 294 sqq. § 17 et tab. palaeogr. II p. 294.

**) quem excerpsit Montefalconius, Biblioth. bibliothecarum mss. nova. Paris. 1739 I p. 233.

7. De scholiis codicis L et de manu secunda [L^{Σ}].

Versibus poetae mediis in paginis exaratis haud ita multo post in quattuor paginarum marginibus, ut supra explicatum est, scholia adscripta sunt alio, magis exacuto calamo, alio, sed non multo diverso atque textus atramento*), uncialibus denique litteris, minusculis saepissime immixtis. Haec scriptura, quam semiuncialem dicere solemus, aliam quoque ferebat scribendi rationem, ita ut textus et scholia speciem praebeant diversam. „Verba poetae“, ut recte observavit Heimsoethius [Epist. Flor. p. 14], „plerumque liberius scripta sunt, litteris inclinatis magis ligatisque, calamo hebetiore, scholia litteris erectis et separatis, calamo magis exacuto.“ Itaque mirandum non est, viros doctos, etiamsi ad unum omnes arbitrantur, scholia in omnes tres poetas, Sophoclem, Aeschylum, Apollonium, ab uno eodemque librario adiecta esse, tamen maxime dissentire, utrum scholiasta idem fuerit atque qui textum scripsit, an alius. Sed quamvis omnes fere viri docti**) textum et scholia diversis librariis attribuenda et scholia ex alio atque ex Laurentiani archetypo descripta esse opinentur, tamen ut haec sententia vera sit vereor. Vehementer enim errant, qui librariorum morem illis temporibus usitatissimum ignorantes iudicant, ex scripturae diversitate certissime colligi posse, alium librarium verba poetae, alium scholia exarasse. Nam in compluribus aliis eiusdem aetatis codicibus, quos ab uno librario scriptos esse constat, veluti in Platonis Parisino A [saec. X] et in Aristophanis celeberrimo libro Ravennati***) [saec. XI] eandem litteraturae diversitatem, textum minusculis litteris, scholia uncialibus, vel ut rectius dicam, semiuncialibus scripta

---

*) cf. H. Keil, Scholia in Apollonii Argonaut. II (1854) p. XLXXXVIII. C. Prien in Aeschyli Septem ed. G. Hermann-Ritschel. praef. p. XI.

**) cf. Bandinius, Catalog. M. Haupt in praef. ad G. Hermanni Aeschyli editionem p. V. Prien l. c.

***) Specimen scripturae huius codicis Ad. de Velsen Equitum editioni adiunxit.

esse observamus.*) Librarii enim scientes et volentes textum et scholia aut diversis litteris, minusculis et maiusculis, aut textum atramento, scholia minio exarare solebant, ut textus et scholia facile a legentibus primo aspectu discernerentur. Quod quantopere opus fuerit facile cognoscitur, si textum et scholia saepissime in angustum spatium compressa esse consideramus.

At, dicunt adversarii, litterarum ductus in scholiis et in textu inter se tam dissimiles sunt, ut eiusdem librarii esse nequeant. Quidni quaeso litterarum species diversa esse possit, cum litterae quamquam ab eodem librario, tamen diverso tempore, diverso atramento, diverso calamo, diversa denique litteratura scriptae sint? Verbis poetae exarandis spatium satis amplum fuit, scholia in paginarum marginibus vel inter versus, i. e. si eorum aliquotiens abundantiam spectamus, saepe in spatio exiguo scribi oportuit, ubi perspicuitati simul cum brevitate consulendum erat, quapropter scholiorum scriba saepe compendiis uti coactus est.

Sed litterarum ductus in textu et in scholiis haud ita dissimiles videntur, dummodo ne scholiorum maiusculas litteras cum textus minusculis comparemus, sed inquiramus, numquid a scholiasta minusculis sit scriptum, atque id cum textus minusculis componamus. Si igitur minusculas litteras uncialibus saepissime in scholiis insertas vel versus omissos vel singula verba poetae ab eodem scholiorum scriba, ut infra disseremus, minusculis litteris addita cum textus litteris comparamus, tantam inter illas similitudinem invenimus, ut manum primam et scholiorum manum fere nunquam certo discernere possimus. Sed hac de re postea dicam. Id autem ex his, quae huc usque disputavimus, apparet, solam scripturae diversitatem minime ad duos librarios esse referendam, sed ex aliis causis facile explicari posse.**)

*) cf. Thucyd. Laur. 69, 2 [saec. X], Vitelli et Paoli, Collez. Fiorent. II (1885) tab. 18. — Gregor. Nazianzenus Or. Laur. 7, 8 [saec. X] ibid. III, 2 (1888) tab. 34. 35.

**) Hanc sententiam iure defendunt Heimsoeth, Epist. Florent., R. Schöll, Herm. XI, 1876, p. 220. G. Wolff, Mus. Rhen. IX (1854) p. 119, H. Keil, l. c., cf. Ritsch. praef. ad Aesch. Sept. p. XI.

Rem igitur aliter aggredi opus erit. Si meminerimus, librarium iam in initio operis variis lineis ductis, ut supra descripsimus, scholiorum adscribendorum rationem habuisse et in textu exarando semper versuum numerum in singulis paginis ad scholiorum modum accommodasse, omnibus, confidenter spero, persuasum erit, scholia iam in archetypo eius exstitisse. Si autem id concessum est, quid obstat, quominus eundem librarium primo textum et haud ita multo post scholia ex eodem scilicet archetypo transscripsisse putemus, praesertim cum maximam similitudinem inter manus primae minusculas et correctionum vel versuum suppletorum manus secundae litteras minusculas reperiamus?

Aliud gravissimum argumentum ad sententiam nostram confirmandam H. Keilius in Scholiorum in Apollonii Argonautica editione sua protulit. Exstat enim in extremo codice L. post Apollonii Argonautica haec subscriptio: *Παράκειται τὰ σχόλια ἐκ τῶν Λουκίλλου Ταῤῥαίου καὶ Σοφοκλέους καὶ Θέωνος* ect. Haec subscriptio minusculis litteris media in pagina [non in scholiorum spatio, i. e. in margine] scripta versus poetae ipsos parvo intervallo subsequitur et teste Keilio easdem litterarum formas atque versus ipsi habet, ita ut dubitari prorsus non possit, quin textus et subscriptio ab eadem manu scripta sint. Eodem autem atramenti colore subscriptio ita cum scholiis cohaeret, ut scholiorum quoque scribae necessario attribuenda sit. Quae res non alio modo probabiliter explicari potest, nisi ut unum eundemque librarium primo textum minusculis litteris, calamo hebetiore, paulo post scholia magis exacuto calamo, paululum alio atramento, maiusculis litteris exarasse existimemus.

Hac nostra disputatione illorum sententia satis redarguitur, qui archetypum a primo scriba usurpatum scholiis prorsus caruisse et L. primum fuisse exemplum contendunt, in quo textui scholia adscripta fuerint. Sed si nihilominus dubitatio quaedam restat, num iam illis temporibus textus et scholia eodem modo, quo in L. videmus, coniuncta fuerint, multorum aliorum scriptorum codices eiusdem aetatis id re

vera iam illo tempore factum esse docent. Tum inter omnes constat*) et optime in O. Jahnii Electrae vel in Maur. Schmidtii Oedipi Tyr. [Jen. 1871] editione perspicitur, Suidam, quem saec. X vixisse probabile est, in lexico suo conficiendo Sophoclis codicem quendam archetypo, ex quo L. derivatus est, simillimum et scholiis iam adornatum, sed permultis locis lectiones discrepantes praebentem adhibuisse. — Huc accedit, quod scholia, quae certe a librario non excogitata, sed transscripta modo sunt, saepe textus lacunam agnoscunt**) vel falsam textus lectionem interpretantur.***) Nulli igitur dubitationi obnoxium est, quin textus et scholia artissime cohaereant et iam in Laurentiani archetypo eodem modo, quo in L. videmus, conexa fuerint.

8. De versibus a diorthota qui dicitur suppletis.

Nonnullos versus poetae a manu prima etiam in altera collatione omissos corrector quidam, a Dindorfio *διορθωτής* appellatus, in margine vel inter lineas adiecit, permulta eiusdem manus calami vitia emendavit, magnum variarum lectionum numerum superscripsit, litteris minusculis plerumque usus, ut textus servaret conformationem. Inter atramentum atque litterarum ductus et huius correctoris et scholiorum scribae tanta est similitudo, ut omnium fere virorum doctorum iudicio unus idemque existimandus sit. Contrariae quidem sententiae a Campbellio breviter pronuntiatae†), alium librarium scholia scripsisse, alium textum denuo correxisse et versus quosdam

---

*) cf. Kausch, De Sophoclis fabularum apud Suidam reliquiis. diss. Hal. 1883. P. Jahn, Quaestionum de scholiis Laur. in Soph. prima pars, qua agitur de ratione quae inter Suidam et librum L. intercedit. diss. Berol. 1884.

**) velut Ai. 636. *λείπει τὸ „ἄριστος“*.

***) veluti Ai. 718 *θυμόν*, El. 706 *Αἰνειᾶν* [pro *Αἰνιάν*], O. C. 390 *εὐνοίας* O. C. 1525 *γειτόνων* (sic), Tr. 24 *ἤμην*.

†) Soph. Ed. I (1871) p. V: „I am inclined to distinguish between the *διορθωτής* and the writer of the Scholia.“

addidisse, nullus patronus exstitit et Campbellius ipse postea de illa sententia decessit.*)

Versus igitur postea adscriptos fere omnes genuinos esse et verborum contextu necessario requiri manifestum est. Viri docti autem magnopere dissentiunt, qui versus correctori, qui manui primae tribuendi sint. Agitur de versibus El. 15. 275. 584—586. 993. 1007. 1485. 1486. 1498. 1499. O. T. 62. 141. 579. 641. 1104. Ant. 68. 69. 780. Trach. 177. 445. 536. 705. Phil. 807. 1263. O. C. 69. 90. 899. 1105. 1256. 1375. De paucis tantum versibus omnes consentiunt, unum versum [El. 15] a manu prima, tres versus [El. 993. 1007. Tr. 445] a diorthota adscriptos esse. 22 versus autem, qui restant, alii manui primae, alii diorthotae imputant, alii rem in dubio relinquunt. Quae virorum doctorum dissensio expediri non potest nisi summa scripturae similitudine, quae omnibus litteraturam versuum a diorthota additorum cum manus primae litteris comparantibus primo obtutu occurrit. Quae similitudo profecto tanta est, ut nihil, nisi fallor, impediat, quominus diorthotam et primum librarium unum eundemque fuisse statuamus. Primus enim librarius, si hoc verum est, versus omissos non eodem tempore atque eodem atramento et calamo supplevit, sed alteram eorum partem statim inter textum scribendum calamo hebetiore adiecit, alteram partem postea, cum scholia adnotaret, diverso atramento et calamo magis exacuto scripsit. Unde factum est, ut singuli versus additicii diverso tempore, diverso calamo, diverso atramento, quamquam ab eodem librario scripti aliquoties variam praebeant speciem, quae viros doctos dissentientes et haesitantes fecit.

At, dicat fortasse quispiam**), difficilius intellegitur, quomodo is, qui textum scripserat, quoniam apographum suum cum archetypo contulerat, etiam tum complures versus neglegere potuerit. Multo verisimilius esse, archetypum, ex

*) II (1881) p. XI „That the διορθωτής and the Scholiast of L. are one and the same was Dübner's opinion and is probably correct."

**) cf. Nauck., Annal. Phil. 85 (1862) p. 170 sqq.

quo ille verba poetae transscripserit, illis versibus caruisse et alium quendam correctorem, diorthotam, illos versus ex alio exemplo in L. intulisse. — Sed id quidem incredibile atque inauditum non videtur, librarium in tanto opere etiam in altera collatione nonnullos versus praeterire potuisse. Nam cum permulta alia quoque calami vitia non emendaverit, certe concludendum est, eum hic illic tantum et minus accurate inter scribendum denuo archetypum inspexisse. Illorum autem trium versuum, quos solos a diorthota suppletos esse viri docti consentiunt, de duobus quidem [El. 993. 1007] facile cognoscitur, homoioteleuton quod dicitur erroris causam fuisse. Eiusmodi causae de plerisque aliis quoque versibus, de quibus virorum doctorum iudicium fluctuat, utrum a manu prima an a diorthota adiecti sint, cogitari possunt.*) — Omnia igitur optime conveniunt, si statuimus, librarium primo textum exarasse nonnullosque errores, quos inter scribendum animadvertebat, illico correxisse, eundem postea cum in adnotandis scholiis textum relegeret et denuo cum archetypo accuratius conferret, versus antea omissos addidisse.

9. De aliis manus secundae correctionibus.

In textu legendo diorthota, ut alii, primus librarius, ut nos iudicamus, non solum versus omissos supplevit, sed etiam permultos calami lapsus antea commissos intellexit et archetypo denuo inspecto emendavit, ubique ut videtur archetypum suum vitiis non immune anxie secutus. Hoc enim modo facile intellegitur, librarium illum non solum eosdem errores modo sustulisse, modo intactos saepe in eodem versu, ubi ei occurrere necesse erat, reliquisse, sed etiam ingentem

*) Homoioteleuton El. 584—586, Trach. 536, simile versuum initium El. 1498. 99. O. T. 141. 579. Phil. 807. 1263. O. C. 1256 [si in archetypo πατρὸς compendio π̄ρὸς scriptum erat] aberrationis causa videtur. Trach. v. 177 in pag. codicis 66 b, Phil. v. 1263 ibid. p. 93 b ultimus fuit et facile omitti potuit. Ant. 68. 69 librarius a πράσσειν (v. 68) ad πράσσειν (v. 70) aberravit.

vitiorum numerum omnino non perspexisse, nisi forte putamus eum corrigendi negotio maxima cum neglegentia functum esse. Sed cum in omnibus rebus parem et primi et secundi librarii inscitiam observemus, sententia nostra aliis iam argumentis commendata verisimillima videtur, vitia illa, quae in L. relicta sunt, archetypo Laurentiani imputanda esse et utrumque librarium unum eundemque fuisse, praesertim cum de his quoque correctionibus viri docti non raro dubitent, utrum primae an secundae manui debeantur. Sed utcunque res se habet, recte Nauckius Dindorfium l. c. vituperat, quod correctorem illum aut minime doctum aut indiligentem „diorthotam“ nominaverit, i. e. grammaticum qui, de suo ingenio atque acumine libros mss. emendare et recensere sciverit.

Ac primum quidem corrector, de quo agimus, quisquis fuit, singulas litteras vel syllabas antea omissas sive litura facta in textum intulit sive inter versus textui superscripsit et quod perperam scriptum erat, correxit. Quae emendationes, ab omnibus editoribus comprobatae, fere omnes ita comparatae sunt, ut ab homine leviter Graeca lingua imbuto nullo codice usurpato ex verborum contextu facile inveniri potuerint.

Sed diorthota, ut hoc nomine utar, graviora quoque menda correxit atque particulas et totas voces, quas manus prima praeterierat, recte adiecit.*) In his lacunis explendis illum ubique felicem videmus, ita ut eius correctiones, cum

*) Exempla eiusmodi in septem tragoediis exstant haec: Ai. 1276 *μοῦνος*, El. 1490 *γένοιτο*, El. 1505 *τῇνδε*, O. T. 981 *κἀν*, in litura duarum litterarum a man. sec., Ant. 392 *χα[ρὰ]*, Tr. 265 *βέλη*, Tr. 319 *ἤνυτον*, Phil. 246 *οὐ δὴ γὰρ σύ γ'* man. pr., *δὴ* post *οὐ* erasit et super *γὰρ* posuit man. sec., recte, nam *οὐ γὰρ δὴ* — *γε* formula est, cf. El. 1020, Eur. Ion. 954. — Phil. 262 *[ὄν]τα*, Phil. 282 *συμβάλλοιτο* man. pr., prius *λ* erasit et *λλάβοιτο* i. e. *συλλάβοιτο* superscripsit man. sec. — Phil. 472 *ἐννέοντα* man. pr. *αι* superscripsit man. sec., i. e. *ἐνναίοντα*. — Phil. 762 *δῆτα* a manu sec. additum a plerisque viris doctis in suspicionem vocatum est, num verum sit. — O. C. 564 *κι[νδυ]νεύματ'* — O. C. 767 *ἤ[θελες θέλοντι]* uncis inclusum in litura angustiore a man. sec. — O. C. 1462 *μάλα μέγας* in litura quinque litterarum a manu sec. insertum. — O. C. 1729 *τάδ'*.

veritatis specie prorsus commendentur, ab omnibus editoribus in textum receptae sint. Etiamsi singulorum verborum defectus sine magno negotio ex metro laeso intellegi et vera scriptura plerumque facile excogitari potuit, tamen emendationes saepe eiusmodi sunt, ut facultatem correctoris, quam ex universa eius opera novimus, excedere et ex codice quodam haustae videantur. Itaque non abhorret a probabilitate, librarium illum in omni corrigendi negotio, etiam in levioribus erroribus tollendis, librum ms., ut mihi videtur Laurentiani archetypum, adhibuisse.

10. De variis lectionibus a manu secunda adiectis.

Praeter has quas commemoravimus correctiones manus secunda magnam variarum lectionum multitudinem semper fere cum sigla „γρ." vel „γρ. καὶ" sive inter versus textui superscripsit sive in margine adnotavit. De nota compendiaria γρ. iam Dindorfius recte iudicavit [praef. ed. III Oxon. 1860 vol. I] vocem καὶ saepe additam docere „γράφεται", non „γραπτέον" intellegendum esse. Illo igitur signo diorthota vel librarius non significare volebat, has lectiones veras et necessarias vel in textum recipiendas esse, sed iudicium suum cohibens referebat, in aliis libris mss. ex alia textus recensione profectis has et has lectiones exstare. Textum autem Sophoclis ut poetae scenici, cuius fabulae etiam proximo post obitum eius tempore persaepe doctae esse perhibentur, antiquissimis iam temporibus ab actoribus, posterioribus saeculis a grammaticis, et, quoniam nullus liber, dum saepe describitur, suam servat formam, a librariis plurimis locis mutatum esse et codices non semper easdem lectiones praebuisse consentaneum est. Praeterea grammatici posteriorum praecipue temporum Graeci sermonis parum periti, si quod antiquum vel rarius vocabulum iis occurreret, notiorem vocem superscribere, si quid in rebus aut in verbis explicandum videretur, adnotare, quidquid non satis recte procedere videbatur, pro sua peritia expedire, lacunas pro sua facultate explere solebant. Illa additamenta, plerumque mera glossemata, a librariis indoctis

haud raro pro variis lectionibus habita cum sigla *γρ.* in alios libros mss. transscripta sunt, saepe etiam in textum ipsum irrepserunt. Id quod in omnium scriptorum codicibus observamus, in Sophoclis quoque libris accidisse, ex permultis variis lectionibus a manu secunda in L. adscriptis, quas solas hoc loco in iudicium vocabimus, manifestum est.

Has enim scripturas a librario non ex coniectura inventas, sed ex codice quodam aut ex scholiis petitas esse, inde certe concluditur, quod earum nonnullae aliorum scriptorum testimoniis confirmantur*), aliae, etiamsi perpaucae, non solum voces tam singulares et exquisitas exhibent, ut illas a diorthota excogitatas esse parum verisimile sit, sed etiam eam veritatis speciem prae se ferunt, ut ab omnibus editoribus priori Laurentiani lectioni praeferantur.**) Magnus deinde illarum variarum lectionum numerus etiam in L. inter scholia reperitur.***)

Viri docti omnes fere opinantur, diorthotam qui dicitur textum Laurentiani cum alio atque Laurentiani archetypo contulisse et quas lectiones in libro suo a L. scriptura alienas invenerit, eas cum sigla *γρ.* in L. intulisse. Quae sententia nullis argumentis comprobata vereor ut vera sit. Multo enim probabilius videtur, id quod viri docti in L. demum factum esse arbitrantur, iam aliquanto antea in antiquioribus codicibus accidisse et illas varias lectiones iam in Laurentiani archetypo vel textui superscriptas vel in scholiis adnotatas fuisse. Nam si aliter res haberet, vix intellegitur, qui

---

*) Ant. 264 *ἔχειν*, man. sec. *αἴρειν* superscr., quod testatur Cyrillus contra Iulium. Ai. 672. *αἰανὴς* man. pr. *αἰανῆς* man. sec., utramque scripturam memorat Suidas.

**) Phil. 954 *ἀλλὰ θανοῦμαι* man. pr., *γρ. ἀλλ' αὐανοῦμαι* man. sec., *ἀντὶ τοῦ ξηρανθήσομαι* scholia. Ant. 429 *διψὰν ἐκφέρει* man. pr., *γρ. διψίαν φέρει* L^{Σ}.

***) O. C. 390 *εὐνοίας* L, in scholiis *εὐσοίας*, quam lectionem sequitur Suidas s. v. *εὔσοια*. — O. C. 1054 *ἐγρεμάχαν* L, *γρ. ὀρειοβάτην* scholia. — O. C. 1060 *πελῶσ' γρ. πελάζουσι* schol. — cf. scholia ad Phil. 423. 426.

fieri potuerit, ut iam manus prima in textu exarando magnum variantium lectionum numerum adderet.*)

Neminem deinde fugiet, complures illarum lectionum manifesto metro obstare**), quas a grammaticis unquam in textum receptas esse nemo putabit. Huc accedit, quod scholia nonnunquam lectiones, quas in L. textu legimus, manifesto perversas interpretantur et aliam in aliis libris scripturam exstare adnotant eamque, quamvis priori lectioni contrariam, explicare conantur***). Unde sequitur non solum, ut scholiorum auctor L. lectionem ante oculos habuerit, sed etiam, ut qui scholia in L. scripsit scholia ipsa et varias lectiones non ex alio demum atque Laurentiani archetypo, sed ex Laurentiani archetypo ipso repetiverit.

Praeterea memoratu dignum videtur, plurimas lectiones additicias in prioribus fabulis [Ai. El. Ant.], quippe quae in scholis plerumque lectitarentur, a grammaticis in suum ipsorum vel in scholarum usum textui superscriptas esse, perpaucas in Trach., Phil., Oed. Col., quae fabulae extremum locum in sylloge tenebant et neglectis paulatim studiis antiquitatis neglegebantur.

Ut breviter quid sentiam explicem, librarius, ut opinor, illas varias lectiones, quas sine sigla γϱ. in exemplo suo invenerat, iam in textu exarando verbis poetae superscripsit, maiorem partem illarum lectionum, quas cum sigla γϱ. archetypum vel inter versus vel inter scholia exhibebat, in posterum

.β. .ϱ. ξ ῶν
*) Ai. 215. πάϑος [i. e. βάϱος], 1053 ἄγειν. — El. 10. Πελοπιδάν,
λα γὰϱ κ μ μαι
364 τυχεῖν, 439 ἀϱχὴν δ' ἄν, 449. φόβας [i. e. κόμας], 783 ἀπηλλάγην, cf. El. 1148. 1174. 1184. 1449. O. T. 101. Ant. 684. 688. 715. 726. 1096. 1339, Phil. 999. 1392, O. C. 63. 333. 450.

**) Ai. 615 εὕϱηται L. γϱ. γεγένηται L^{Σ}. — O. T. 1529 μηδέν' ὀλβίζειν πϱὶν ἂν L, γϱ. πάντα πϱοσδοκᾶν ἕως ἄν. — O. C. 1054 ἐγϱεμάχαν L, γϱ. ὀϱειοβάτην inter scholia. — O. C. 1060. πελῶσ' L. recte, γϱ. πελάζουσι L^{Σ}.

***) Tr. 23 ἤμην et ἥμην. O. T. 194 ἄπουϱον et ἔπουϱον. O. C. 71 μόλοι et μολεῖν. O. C. 390 εὐνοίας et εὐσοίας.

tempus servavit, quoniam scholia quoque posteriore tempore adscribenda sibi proposuit.

Examinantes postremo illas lectiones ipsas, quales sint et quid valeant ad textum emendandum, facile cognoscimus, plerasque prorsus inutiles et supervacaneas atque ut mera glossemata abicienda esse, praesertim cum textus scripturae rectae et multo exquisitiores haud minimam offensionem praebeant. Perpaucae tantum illarum lectionum corruptis manifesto textus scripturis ab editoribus iure praelatae et in textum receptae sunt.

11. De aliis codicis L. correctoribus.

Proximis saeculis, i. e. inde a s. XII usque ad XVI codex L. aliorum correctorum manus expertus est, quae atramento et litterarum formis facile a manu pr. vel sec., eo difficilius inter se ipsae discerni possunt. Duebnerus apud Dindorfium „manum antiquam“, „aliam manum antiquam“, „recentiorem“, „recentissimam“ secrevit, saepenumero mutationes nulli certae manui tribuit, sed rem in suspenso reliquit. Campbellius in editione sua praeter duas priores manus sex alias distinguere conatus est, a Duebnero in definiendis singulis manibus non raro dissentiens.*) Quae cum ita sint et singuli correctores non ea qua necesse est subtilitate disiungi possint, fieri non potest, quin omnis de hac re commentatio admodum manca futura sit.

Illi igitur correctores multos leviores primi librarii errores, qui in altera quoque diorthotae vel primi librarii collatione intacti remanserant, emendaverunt, singulas litteras, accentus, spiritus addiderunt, falsas litteras eraserunt et in litura veras dederunt, saepe etiam varias lectiones cum sigla γρ. inter versus vel in margine adscripserunt. Sed praeter

*) Sed cf. eiusdem praefat. ad vol. II p. XI: „I have here to repeat with somewhat more of emphasis than in the first edition of vol. I. that the signs C^2, C^4, C^6 [i. e. corrector 2. 4. 6.] which are necessarily retained from my first collation of L., have merely an approximate value.

has correctiones eaedem manus, praecipue recentior et recentissima, permultis quoque locis veram primi librarii scripturam additamentis vel mutationibus suis corruperunt. Commentarium quoque adnotationibus minoris pretii aliunde excerptis ampliaverunt et plerumque depravaverunt, ita ut Elmsleius, Dindorfius, Papageorgius illa posteriorum temporum additamenta, cum nullum antiquae doctrinae fructum praebeant, in scholiorum editionibus iure neglexerint.

De auctoritate illarum correctionum primum apertum est et inter omnes viros doctos constat, recentissimas circiter inde a saec. XIV usque ad s. XVI partim igitur in Italia et post editionem Aldinam [anni 1502] in L. illatas*), cum ex inferioribus tantum codicibus fluxisse possint, paulum aut nihil conferre ad Sophoclem emendandum.**)

Impeditius autem est iudicium de antiquis correctoribus, de quibus duae inter se contrariae sententiae adhuc prolatae sunt. Dindorfius quidem iudicat***), „illorum correctiones ita omnes comparatas esse, ut neque archetypum codicis exemplar neque alios libros antiquiores ab iis inspectos esse, sed omnia coniecturis, modo veris, modo falsis, deberi pateat“. Quam sententiam Kvičala refutare conatus est†), qui exemplis ex Electra fabula depromptis demonstrare studuit, illas correctiones maiorem in partem non meras coniecturas, sed emendationes esse, „quae optimo nitantur fundamento diplomatico“ et dignae sint, quae respiciantur. Ad comprobandam suam sententiam Kvičala nonnullas illorum correctorum ineptias composuit, ut appareret, talibus parum doctis correctoribus illas emendationes minime tribui posse. Deinde recte censet, ex sigla γρ. hic illic variis lectionibus superscriptis adiecta concludendum esse, illas correctiones non a librariis ipsis vel

*) cf. Dindorf. ed. III Oxon. adnot. ad Trach. 447. 592. 593. 631. 659. 747. 886. 1018. 1051. 1225.

**) cf. Jebb, Facsim. praef. p. 18 „As a rule: the matter which they added is worthless.“

***) l. c. vol. I p. V.

†) Beiträge zur Kritik und Erklärung des Sophokles. Sitzungsber. d. Wiener Akademie, vol. 45 (1864) p. 401—408.

lectoribus excogitatas, sed ex codicibus quibusdam haustas esse. Sed etiamsi hoc Kvičalae concedendum est, tamen viri doctissimi disputatio non illud tangit, quod quasi cardo totius quaestionis est, illos libros mss., ex quibus illae correctiones ductae sint, nullo modo antiquiores fuisse codice L. Nam illi correctores in levissimorum vitiorum correctionibus versantur, quorum medela etiam sine antigrapho ex metro violato aut ex verborum contextu reperiri poterat, ita ut viris doctis nostrae aetatis sine dubio contigisset. Locos autem gravius corruptos illi magistelli nusquam ne tentant quidem sanare, quoniam id facultates eorum multo excedebat. Nihil igitur interest, utrum Laurentiani correctores ipsi illas emendationes invenerint an ex libris mss. in L. intulerint. Illud enim non dubitandum est, quin illi libri Laurentianum aetate non superaverint et illae correctiones ad grammaticos referendae sint, praesertim cum perpenderimus, codicem quoque Laurentianum 31,10 [l], quem ex L ipso aut ex eius apographo derivatum esse constat, ut infra demonstrabimus, complures locos iam magis emendatos exhibere, quam L. ipsum. Itaque facere non possumus, quin in illa controversia, si id spectamus, quod gravissimum est, Dindorfio assentiamur. Nihilominus autem illas correctiones, imprimis manus antiquae, non contemnendas, sed grammaticorum coniecturas, non testimonia antiquioris memoriae habendas esse putamus, quae utrum verae an falsae sint, ratione sola disceptandum est.

12. Quale fuerit Laurentiani archetypum.

Non inutile erit quaerere, qualis natura fuerit archetypi, ex quo L. descriptus est, quoniam ex hac quaestione multum ad vitia Laurentiani non solum melius perspicienda, sed etiam emendanda redundabit. Ac primum quidem ex eis, quae supra demonstravimus, apparere videtur, archetypum Laurentiani scholiis iam instructum fuisse. Ex variis deinde lectionibus iam a prima manu in L. adscriptis manifestum est, illum librum, ex quo L. fluxit, varias lectiones super-

scriptas exhibuisse*). Quae res, ut iam Lipsius recte observavit**), aliis quoque argumentis confirmatur. Nonnunquam enim in L. eam scripturam invenimus, quae sine ulla dubitatione ex duabus lectionibus conflata sit. Velut O. C. 475 L. habet *οἰνεοτόκωι*, cui a manu antiqua, ut videtur, *οἰοπόκωι* superscriptum est, unde Canterus probabiliter coniecit *νεωπόκῳ*. Illud *οἰνεοτόκωι*, quod nihil est, ex *νεοτόκωι* (superscr. *οι* … *π*) confluxisse videtur. — Alterum exemplum est O. C. 138: *ὅδ' ἐκεῖνος ἐγώ· φωνῇ γὰρ ὁρῶ τὸ φατιζόμενον*. In L. legitur *ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν ἐγώ·* metro obstante. Aut *ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν* aut *ὅδ' ἐκεῖνος ἐγώ* scribi poterat***). Alterutrum vocabulum sive *ὁρᾶν* sive *ἐγώ* ut interpretamentum alterius textui superscriptum in textum irrepsit.†)

Tum vitia Laurentiani certas ansas praebent ad explorandam archetypi eius naturam. Vocabula enim saepe falso divisa et frequentissima permutatio earundem litterarum, *Α—Λ, Δ—Λ, ΛΛ—Μ, Γ—Τ, Γ—Π, Τ—Π, ΕΙ—ΗΙ, Ο—Ω* vel *ΟΥ* ect. manifesto indicare videntur, L. ex libro descriptum esse, in quo litterae forma unciali erant atque omnes eodem tenore, non diremptis singulis vocabulis continuabantur. Ita factum est, ut librarius, cum apographum suum minusculis litteris exararet, saepe ridiculum in modum litteras ad unum verbum coniungendas distraheret, litteras in dua verba separandas contraheret similesque litterarum

---

*) cf. Prien, Nov. Mus. Rhen. vol. 9. p. 220.

**) De Sophoclis emendandi praesidiis [Progr. Scholae Reg. Afranae] Misenae 1860, p. 13.

***) cf. Aristoph. Equ. 1331 *ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν* — Nubes 1167 *ὅδ' ἐκεῖνος ἀνήρ*. Soph. Phil. 261 *ὅδ' εἴμ' ἐγώ σοι κεῖνος*.

†) Alia eiusmodi glossemata in L. exstant et hoc codice in omnibus aliis libris propagata sunt: Ant. 586 *ἁλός*, 628 *νύμφης*, 851 *οὔτε ἐν*, 966 *πετρῶν*. Trach. 963 *ξένοι*. Phil. 150 *τὸ σὸν*, 680, ubi *Ἰξίονα* aut *δέσμιον* metro obstat. et delendum est, 696 ubi eandem ob causam *οὐδ'* aut *τὰν* eiciendum est. Aiacis totus v. 554 ex margine in textum illatus est. cf. Ai. 28. 571. 714.

formas confunderet.*) Quod primus Franzius intellexisse videtur, qui iam a. 1846 animadvertit**), L., si non ipse ab archetypo litteris capitalibus scripto originem duxerit, tamen ex apographo certe derivatum esse, quod ex tali codice manavisset. Eandem sententiam pronuntiavit Kvičala***). Plerique viri docti ut G. Hermannus†), Dindorfius††) aliique L. ex archetypo maiusculis litteris scripto repetunt.†††).

13. De codicis L. condicione et auctoritate.§)

Laurentianum L omnium trium poetarum, quos continet, Sophoclis, Aeschyli, Apollonii et vetustissimum et optimum codicem esse inter omnes constat. Omnes reliquos libros, quot innotuerunt, ex illo manasse, quod ad Sophoclem attinet, infra demonstrare conabimur, de Aeschylo idem alii contenderunt. Nihilominus primo obtutu intellegi potest, praestantissimum nostrum librum L. haud paucis gravioribus vitiis iam depravatum esse, quorum maior pars iam ad archetypum Laurentiani certe referenda est, eaque non multum mutata per L in omnes quos habemus libros transierunt. Pleraque menda, quibus L. laborat, iam antiquissimis temporibus in textum irrepsisse credendum est. Id quidem ex scholiis plane cognoscimus, quae corruptam textus lectionem agnoscunt et iam „*τὰ παλαιὰ ἀντίγραφα*“ vel „*τὰ παλαιότερα*“ vel „*τὰ λίαν παλαιά*“ illam vel similem scripturam exhibuisse testantur.§§) Nihilominus Sophoclis fabulae multo integriores

*) Permulta exempla huc pertinentia collegerunt Wecklein, Ars Sophoclis emendandi. Wirceburgi 1869. p. 2 sqq., M. Seyffert, Indices ad Aiac., Phil., Ant. edition., Subkoff ad Trach. edit.

**) des Aescyl. Oresteia, p. 318.

***) Zeitschr. f. oesterr. Gymn. vol. 17 [1866] p. 25.

†) Aesch. tragg. Lips. 1852 vol. II praef. ad Suppl.

††) ed. III Oxon. vol. I.

†††) Quod ad eruendam naturam illius archetypi Thompsonus, Facsim. praef. p. 8 coniecit, nullam probabilitatem habere mihi videtur.

§) cf. Jebb, Facsim. praef. p. 12 sqq. et praef. ad O. T. p. LVIII sqq., Dindorf., Poet. Scenici Graeci ed. V Lips. 1869 p. VII.

§§) cf. Schol. ad O. C. 390, Ant. 4.

et a corruptelis liberiores ad nos pervenerunt, quam Aeschyli et Euripidis tragoediae.

Ad textum emendandum aliquoties scholia vetera ansas praebent, quorum antiquiora ad Didymum aliosque grammaticos summo iure referuntur.*) Nonnulli alii corrupti loci hic illic apud veteres grammaticos recte citantur.**) Complura deinde Laurentiani vitia, sed leviora tantum in ceteris codicibus imprimis in Parisino A correcta leguntur. Sed tamen L. auctoritas tanti aestimanda est, ut omnes eiusdem lectiones iterum atque iterum quam diligentissime perpendere et nusquam ab eius scriptura recedere debeamus, nisi ubi nos aperta quaedam et inevitabilis ut ita dicam necessitas id ut faciamus cogit. Nam saepe ne errata quidem Laurentiani plane inutilia videntur ad veram lectionem indagandam, si causas depravationum perspexerimus. Corruptelis denique libri L, quae restant, sanandis viri docti cum antiquiorum temporum veluti Triclinius, tum recentiorum inde a Brunckio usque ad nostram aetatem maximam ac non infructuosam operam dederunt.

II.

Inter Laurentianum L et reliquos codices quae sit ratio.

Ad Sophoclis textum recensendum illa Sophoclis editio maximo momento erat, quam Brunckius a. 1786—1788 Argentorati fecit, cum verba poetae Tricliniana recensione

*) Indicem locorum, qui scholiis emendati sunt, dat Dindorfius, Adnotationes ad Soph. tragoedias. Oxonii 1836 praef. p. 13. cf. Ed. Wunder, De scholiorum in Soph. trag. auctoritate, Progr. gymn. Grimmae 1838. G. Wolff, De Soph. scholiorum Laur. variis lectionibus. Lips. 1843. O. Pauli, De scholiorum Laur. ad Soph. verba restituenda usu. Gottingae 1865. et Quaestiones crit. de schol. Laur. usu, Progr. archigymn. Soest 1880. Chr. Heimreich, Kritische Beitr. zur Würdigung der alten Soph.-Scholien, Progr. gymn. Plön. 1884.

**) Indicem horum locorum composuit Dindorf, Adnot. ad Soph. tragg. Oxonii 1836 p. VII sqq.

non ubique feliciter mutata et proximaram editionum mendis depravata ad veterum codicum fidem revocaret. Adhibuit autem imprimis codicem Parisinum 2712 [A] „membranas vetustissimas“, ut eius verbis utar, librum saec. XIII scriptum et aetate Laurentiano L fortasse solo superatum. Praeterea codices Parisinos B, C, D, E, T et librum Augustanum b usurpavit.

Nova lux exorta est Sophocli opera Petri Elmsleii, qui primus codicem illum antiquissimum, L ipsum, summa qua par erat diligentia a. 1820 contulit aliosque libros mss. veluti l, Lc, Ricc., Vat., Farn. in usum vocavit. De codicum rationibus breviter tantum hic illic sententiam suam pronuntiavit. In adnot. ad O. C. 7, p. 88 demonstravit, quattuor codices B, T, Vat., Farn., arta cognatione coniunctos esse. In praefatione ad O. T. ed. III p. 28 [p. VII ed. Lips.] breviter dixit, sibi videri L reliquorum librorum mss. fontem non esse.*)

Anno 1825 Dindorfius in praefatione editionis Lipsiensis lectiones trium aliorum codicum bibliothecae Laurentianae publicavit *Δ*, *Θ* et praecipue codicis G, qui a. 1282 exaratus tertium inter libros Sophocleos locum obtinet.

Multis annis post a. 1845 Cobetus Laurentianum L denuo inspexit et a. 1847 in adnotationibus ad orationem suam academicam de arte interpretandi**) sententiam suam breviter indicavit, persuasum sibi esse, Aeschyli et Sophoclis fabulas in unico codice L ad nos pervenisse et ex illo vetustissimo libro profluxisse, quidquid codicum ubique inveniretur. Eandem sententiam Dindorfius et de Aeschylo et de Sophocle in poetarum illorum editionibus suis saepe professus et argumentis fulcire conatus est.

*) Id inde satis constare putavit, quod O. T. 166 *καὶ* in L a man. pr. omissum et ab antiqua demum manu additum sit. Nam parum esse verisimile, librarios id ex coniectura adiecisse, qui rem metricam minus curavissent. Sed iam Lipsius, De Soph. emend. praes. p. 7 recte iudicavit, hunc locum solum minoris momenti esse ad difficilem illam de librorum rationibus quaestionem dirimendam.

**) Lugduni Batav. 1847 p. 103.

Illud Cobeti et Dindorfii iudicium primus Schneidewinus in censura Scholiorum in Sophoclem a Dindorfio editorum in dubium vocavit*), cum omnes Sophoclis codices ex uno L ductos esse negaret atque praecipue Parisinum A et Laurentianum G ex alio atque ex Laurentiano L archetypo manasse contenderet.

Eandem fere sententiam, quam Schneidewinus breviter tantum significaverat, J. H. Lipsius in commentationibus inscriptis „De Sophoclis emendandi praesidiis" [a. 1860] et „Apparatus Sophoclei supplementum"**) [a. 1867] compluribus argumentis confirmare studebat. Lipsio libri Laurentiani 31.10 (l) et 125 (G) non ex L ipso, sed ex eius archetypo, Parisinus A ex alio fonte atque codices Laurentiani derivati videntur.

A Lipsio non valde dissentit Antonius Seyffert, qui in dissertatione „Quaestiones criticae de codicibus Sophoclis recte aestimandis" Halis a. 1863 edita et codicem A et G minime ex L, sed singulos ex singulo archetypo originem duxisse demonstrare conatus est. Kvičala ut Seyfferti sententiam comprobavit, ita minime illam ab eo certis argumentis stabilitam esse concessit.***)

Lipsii et A. Seyfferti opinionem R. Schneider in commentatione „Der Stammbaum der Sophocleischen Handschriften" inscripta†) locis praecipue ex Electra fabula sumptis confirmare studebat. Eandem fere sententiam profitentur Campbellius††), Jebbius†††), Schubertus§), Subkoffius in editionibus suis, ita ut hodie pervulgata sit.

---

*) in Jahn. annall. philol. vol. 67 (1853) p. 497.
**) Progr. gymn. Nicolaici Lips. 1867.
***) Zeitschr. f. oest. Gymn. vol. 17 [1866] p. 21 sqq.
†) Fleckeis. ann. vol. 115 [1877] p. 441 sqq.
††) vol. I ed. I 1871, p. VII, ed. II 1879 p. XXIV sqq.
†††) vol. I, O. T., p. LVI, vol. III, Ant., p. LII, Facsim. praef. p. 15 sqq.
§) in edit. et cf. „Analecta Sophoclea" Progr. gymn. Prag. 1886.

Dindorfius contrariam sententiam in omnibus editionibus suis sustentare et defendere studebat.*) Dindorfium secuti sunt Mauricius Seyffert**) et Turnerius in editionibus suis***).

Quae cum ita sint, denuo accuratius disquirere iuvabit, quaenam illarum sententiarum certioribus argumentis stabiliri possit. Videamus igitur, quibus argumentis commoti Lipsius et qui eius sententiam amplexi sunt, Laurentianum L commune omnium librorum archetypum esse negaverint.

Gravissimum argumentum hoc putant, quod versus O. T. 800 in solo L omissus est. Illum enim versum verborum contextu necessario postulatum in L a manu demum recentissima saeculo quarto vel quinto decimo adscriptum esse, ita ut ex L in reliqua exemplaria venire non potuerit, quippe quae superioribus temporibus exarata sint. — Sed primum Thompsonus, vir in palaeographicis rebus versatissimus, iudicat†), formam litterarum illius versus certe saeculo XIII vindicandam esse, ita ut v. 800 optime ex L in reliquos codices transire potuerit. Magni quidem momenti videtur, quod ille versus in omnibus iam praeter L libris exstat, i. e. in iis quoque, quos ex L ipso vel ex eius apographis derivatos esse constat. Praeterea dicendum est, versu illo omisso nihil in verbis poetae desiderari, quod auget suspicionem, illum versum grammaticorum inventioni deberi. Itaque Nauckius recte suspicari mihi videtur††), glossam *τριπλῆς* ad *κελεύθου τῆσδε* [v. 801] additam interpolationis causam fuisse et versum ut spurium delendum esse. Eodem enim modo El. v. 1485. 1486, qui ab omnibus editoribus recte interpolatori tribuuntur, in L et l omissi et a manu demum recentiore in margine adscripti sunt; in reliquis codicibus iam in textu traduntur.

*) cf. imprimis edit. III Oxon., praef. ad vol. I, III, VIII et Poet. Scen. Gr. ed. V Lips. 1869 p. IV.

**) in edit. Antigonae [Berolini 1865], Aiac. [1866] Philoct. [1867].

***) Tournier, Les tragédies de Sophocle. Paris.

†) Facsim. p. 11.

††) Fleckeis. ann. vol. 85 (1862) p. 176.

At, dicunt adversarii, innumerabiles praeterea inveniuntur loci, quibus Laurentiani L lectiones aperte corruptae aliorum librorum imprimis Parisini A et Laur. G lectionibus sine dubio emendantur. Quae quales sint, infra in describendis illis codicibus explicatius disquirere in animo habemus et demonstrare conabimur, illos locos eiusmodi esse, ut vera lectio facile aut ex L scriptura elici aut ex scholiis vel ex verborum contextu erui aut a grammaticis sine ullo negotio inveniri potuerit.

Tum A. Seyffert*) et Kvičala**) non verisimile esse arbitrantur, innumerabilia Sophoclis exemplaria, quae antiquis temporibus atque etiam media aetate exstitisse constet, ineunte saec. XI, cum L scriptus sit, praeter Laurentiani L archetypum et L ipsum omnia deperdita esse, immo contrarium esse probabilius, alios quoque Sophocleos libros mss. illo tempore et exstitisse et apographis propagatos esse, ex quibus apographis nonnulli nostrorum codicum originem ducere potuerint. — Atque id minus mirum et inauditum *nisi fallor* videbitur, si perpenderimus, illis temporibus, quibus liber L exaratus est, Graecarum litterarum studia magis magisque evanuisse et haud ita multo post ex septem scenicorum poetarum fabulis tres in usum scholarum electas esse. Facillime igitur cogitari potest, Laurentianum L, ut eximius et fortasse unus supererat liber, qui septem et Aeschyli et Sophoclis tragoedias cum scholiis plenioribus contineret, a librariis prae aliis exemplaribus in conficiendis apographis maxime adhibitum esse. Atque id re vera factum esse, de compluribus Aeschyli codicibus ex eisdem lacunis in Agamemnone et in Choephoris fabulis hiantibus certe concluditur, de reliquis autem Aeschyli libris mss. ex lectionum consensu viri docti summo iure suspicantur***). Atque etiam

*) l. c. p. 27.

**) l. c. p. 24 sq.

***) cf. M. Sorof, De ratione quae inter eos codd. recentiores, quibus Aeschyli fabulae Prom., Sept., Persae continentur, et codicem L intercedat. Dissert. Berol. 1882.

nonnullos Sophoclis codices ex L sive eius apographis derivatos esse inter omnes constat et infra ostendetur.

Omnes autem Sophoclis codices aut ex L ipso aut ex apographis eius hodie deperditis repetendos esse ut credamus, suadet, ut iam Lipsius fateri coactus est, ingens vitiorum gravissimarumque corruptelarum numerus, quae in omnibus libris nostris pariter inveniuntur et nonnulli versus in omnibus importune adiecti*). Quod semper concessum nunquam satis perspicue ante oculos propositum est, quamobrem non inutile erit, nonnullos memorabiles eiusmodi locos hic enumerare, ut tandem aliquando cognoscatur, quam arta necessitudine omnes qui innotuerunt codices cohaereant et quantopere codicis L vestigia sequantur.

Magni momenti est versus Ant. 1167 in omnibus codicibus omissus et a Turnebo demum ex Athenaeo**) vel Eustathio***) in edit. sua a. 1553 primum restitutus: *ζῆν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν.* Genuini versus testis est scholiasta, qui dicit: *οὐ τίθημι, φησίν, ἐν τοῖς ζῶσι τὸν τοιοῦτον· οἷον, οὐ νομίζω ζῆν ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα, ὃν ἂν προδῶσιν αἱ ἡδοναί.* Eustathius haec verba afferens adnotat „*τὰ ἀκριβῆ ἀντίγραφα*“ illa praebere. Illum versum Eustathius, qui exeunte saec. XII floruit, i. e. uno vel duobus saeculis postquam L scriptus est, aut in aliis Sophoclis exemplaribus diversis a nostris, nunc deperditis legit, aut quod maiorem probabilitatem habet, ut Dindorfius probavit†), ex Athenaei codicibus hausit et vel errore memoriae vel adnotationis incuria minus diligenter retulit. Sed utut id est, etiam Jebbius††) et Lipsius facere non possunt, quin concedant, illud grave argumentum esse ad L communem omnium codd. nostrorum fontem demonstrandum.

---

*) cf. Ai. 554. 571.

**) 7, p. 280 b et 12 p. 547 c.

***) p. 957, 17.

†) edit. III Oxon. ad h. loc.

††) ad h. vers. „All our mss. share its defect. This point should be noticed as favouring the view that all our mss. come from L.“

In omnibus libris eaedem lacunae inveniuntur: Ai. 936, El. 1432, O. T. 214. 906, O. C. 882. Post El. 1264 et 1429 unus, post El. 1427 tres, post O. C. 182 quattuor versus desunt. Post Phil. 1251 unius versus defectum indicavit Hermannus. Ai. 636 ἄριστος suppletum ex scholiis. Verba in omnibus codd. omissa viri docti addiderunt his locis: Ai. 1008 με Kusterus, El. 1088 ἐν Brunck., El. 1403 ἡμᾶς Reiskius, Phil. 435 ἐν Erfurdt, Ph. 677 τῶν Porson., Ph. 829 εὐαίων et 950 ἀλλ' Turnebus. Trach. 743 alterum ἄν correctum ex Suida.

Eisdem rursus glossis, quae in textum irrepserunt, omnes codd. inquinati sunt. Viri docti deleverunt: Ai. 714 γε καὶ φλέγει Heathius, 885 ἴδρις; El. 105. λεύσσω Hermann, 129 πατέρων Monk; Ant. 587 ἁλός Elmsleius, 966 πετρῶν; Trach. 963 ξένοι et Phil. 150 τὸ σόν Triclinius; Phil. 1407 σῆς πάτρας; O. C. 1148 οὗτος Reiskius. Phil. 696 οὐδ' ὅς τὰν codd., una syllaba supervacanea est; Erfurdt. τὰν, Hermann. οὐδ' expunxit.

Praeterea omnes praestantiores codd. eisdem atque innumerabilibus vitiis laborant, quorum ex Aiace et Philocteta fabula nonnulla afferam.

Aiax v. 112 ἔγωγέ σ' LAG et plerique pro ἐγώ σ' | 236 τὰς δὲ LAG Pal ect pro τὰ δὲ | 283 ξυναλγοῦσι iidem pro ξυναλγοῦσιν | 579 δῶμ' ἀπάκτον codd., pro δῶμα πάκτον ut correxit Valckenaer ex Eustath. | 698 χοροποιὲ pro χοροποί' | 712 ἐξήνυσεν pro ἐξήνυσ' | 905 ἔπραξε libri, ἔρξε coniecit Hermann. | 1022 ὠφελήσιμοι pro ὠφελήσιμα | 1058 εἴληχε pro εἴληχεν.

Phil. v. 196 ὅπως pro ὡς [Porson] | 253 ἂν ἱστορεῖς pro ἀνιστορεῖς | 507 ἔλεξε pro ἔλεξεν | 515 μέγα τιθέμενος LAGlVV[3] pro μετατιθέμενος ut Brunckius correxit ex scholiis. In cod. T. [recens. Tricl.] vulgatae lectioni vera superscripta est, eadem in codd. Vat. et Vat. b legitur, ex scholiis fortasse emendata. | 614 ἤκουσεν LAGl plerique pro ἤκουσ' | 678 ἔλαβ' libri pro ἔβαλ' Wakefield; postea ἔβαλεν in Vat. repertum est. | 846 φήμαν libri pro φάμαν | 910 ἀνὴρ pro

ἁνήρ | 954 *ἀλλ' αὖ ϑανοῦμαι* libri omnes; veram lectionem *ἀλλ' αὐανοῦμαι* Triclinius ex scholiis recepit | 1199 *βρονταῖς αὐταῖς* libri omnes; veram lectionem *βροντᾶς αὐγαῖς* annotavit scholiasta | 1226 *πειϑόμενος* pro *πιϑόμενος* | 1406 *Ἡρακλείοις* pro *Ἡρακλέους* | 1429 *ἐκβαλὼν* pro *ἐκλαβὼν* [Turneb.] vel *ἐκλαχὼν* [Valckenaer].

Inter quae menda quattuor maximi momenti sunt, Ai. 579, Phil. 253. 515. 1199, quorum numerus facile augeri potest*), quae errore librarii apographum suum ex archetypo transscribentis, quod litteris uncialibus exaratum singula verba non dirempta habebat, orta esse manifestum est. Magnam deinde habet probabilitatem, ut iam supra demonstravimus, L ipsum ex tali exemplari derivatum esse. Reliqui autem codices compluribus demum saeculis post, antiquissimi eorum Parisinus A et Laur. G, saec. XIII i. e. duobus vel tribus saeculis post L scripti sunt et iam eam ob causam parum credibile est, illos ex archetypo ipso litteris capitalibus scripto haustos esse. Sed cum in omnibus nostris libris mss. saepe eadem vitia, quae in transscribendo ex litteris maiusculis in minusculas librarius quidam primum commisit, remanserint, summo iure contendere possumus, omnes nostros codd. ex uno eodemque archetypo i. e. ex codice L manasse.

Ad quam sententiam confirmandam permultum quoque valent complures loci in L prorsus corrupti, ad quos sanandos grammatici vel librarii, cum id eorum ingenium excederet, in reliquis libris plerumque inanem laborem susceperunt et ubi vera vel probabilis lectio nostris demum temporibus a viris doctis reperta est: Phil. 639 *ἄηι* [cum glossa *παρῆι*] L, *ἀγῇ* A, *ἄη* GR, *ῥάῃ* BVat; in Harl. verbum omissum est. *ἀνῇ* emend. Pierson. — Ph. 818 *μεϑίημι* [*μεϑείημι* man. pr.] *τί δὴ πλέον φρονεῖς* LlG, *μεϑίημι τί δὲ δὴ πλ. φρ.* A et qui *δὴ* omisit Harl., *μεϑίημί σε· τί δὴ πλ. φρ.* BVat Turneb., *μεϑίημ', εἴ* [cf. man. pr. in L] *τι δὴ πλ. φρ.* Hermann. —

*) cf. Trach. 122. *ἐπιμεμφομέναϲ ἁδεῖα* libri omnes pro *ἐπιμεμφομένα σ' ἁδεῖα.*

Ph. 1007 οἷά μ' contra metrum LGVat.b, οἷα A [ου superscr. corrector], V³ οἷμ' ἀπῆλθες Vat., οἵως V., οἷ' αὖ μ' Hermann. — Phil. 1381 καλῶς metro contrarium LlGVatVV³ libri Triclin., κάλ' ARV³, λῷσθ' Dindorf. — Ph. 1390 ἔγωγ' οὐκατρείδας LlV, ἐγώ γ' οὐκ ἀτρείδας G, ἔγωγ' ἀτρείδας ABVat.V³, ἐγὼ οὐκ Ἀτρείδας Dindorf. — Trach. 205 ἀνολολύξετε δόμοις LAR², ἀνολολύξατε δόμοις lKLcBV², ἀνολολυξάτω δόμος Dindorf. — Tr. 894 ἂν ἑόρτος L, ἀνέορτος ABKlLcT, ἀνέορτος R², ἃ νέορτος primum editum in Iuntina pr. ex schol.

Aliquoties medela alicui grammatico vel librario posteriorum temporum contigisse videtur, cum emendata lectio hic illic in codice aliquo inferioris notae inveniatur, quem apographum Laurentiani L vel alius codicis noti esse constat. Nonnullos eiusmodi locos composuit Lipsius, de Soph. em. praes. p. 14.

Huc accedit, ut omnes codd. Sophoclis fabulas eodem fere ordine et scholiorum nihil amplius praebeant, quam quod in L exstat.*)

Omnia haec argumenta reputantibus nobis nihil obstare videtur, quominus omnes codd. ex uno L, uno vel compluribus apographis interiectis, fluxisse existimemus, ita ut omnes, si imagine quadam librorum originem designare licet, sive pro filiis sive pro nepotibus unius L habendi sint. Quod ut satis perspiciatur, iam ad reliquorum librorum indolem explorandam aggredi opus erit.

III.

De codice Parisino 2712 (A).

Omnium librorum excepto L praestantissimus est codex Parisinus 2712, littera A praeeunte Brunckio ab editoribus signatus, qui olim Memmianus 515 nunc in bibliotheca Parisiensi asservatur. In 324 membranis diligenter scriptus

*) De scholiis codicis G cf. cap. IV.

est paginis trifariam divisis, ita ut terni versus in linea continuentur, terni sequentes versus subiciantur. Raro ab ipso librario, rarius ab alia manu correctus est. Ab omnibus, qui codicem inspexerunt, saeculo XIII adscribitur. Continet in prioribus pag. 116 Euripidis Hecubam, Orestem, Phoen., Androm., Medeam, Hippol., deinde a pag. 117—214 Sophoclis septem fabulas ordine eodem quo L, sed ita, ut Antigonam Oedipus Col. sequatur. Postremo insunt Aristophanis Plut., Nub., Ran., Equ., Av., Acharn., Eccl. [imperfectae]. Veterum Laur. scholiorum excerpta tantum exilia exhibet.

Editionem Aldinam anni 1502 Parisino nostro niti ex multis argumentis satis apparet. Aldina enim non solum eundem quem Par. fabularum ordinem habet, sed etiam tot lectiones Parisini proprias, ut extra dubitationis aleam positum videatur, Aldinam sive ex Parisino ipso vel eius apographo, sive ex exemplari ei simillimo haustam esse.

Parisinum primus Brunckius sed minus accurate excussit et lectiones eius in editione sua publicavit. Maiore diligentia codex ab Elmsleio in Oed. Col. et nostris temporibus a viris doctis identidem usurpatus est. In usum Dindorfii Duebnerus, in usum O. Jahnii ad Electrae editionem R. Prinzius illum contulit. Froehneri collationem IV fabularum [Ai. El. Tr. Phil.] Lipsius in commentatione s. l. „Apparatus Soph. supplementum“ vulgavit. Alii deinde viri docti ad edendas fabulas codicem illum denuo adhibuerunt veluti Campbell., Jebb., Subkoff.

Maxima auctoritas, quam etiam posterioribus temporibus editio Brunckiana summo iure obtinebat, in aestimandum A quoque redundabat, unde factum est, ut inter omnes codd. praeter L primus criticorum oculos in se converteret atque Lipsius et qui eum sequuntur praestantiam et diversam eius ab L originem comprobare studerent.

Magnum huiusce rei argumentum existimat Lipsius, quod versum Ant. 838 in omnibus libris exstantem A solus ignorat: *ζῶσαν καὶ ἔπειτα θανοῦσαν*. Sed huius versus defectus mihi eam vim non habere videtur. Facillime enim fieri potuit, ut

Parisini librarius, cum verba poetae parum intellegeret, illum versum spurium arbitratus neglegeret. Sed versum genuinum et aptum esse exposuit M. Seyffert sensum sic recte referens: „Quamquam defunctae amplum est etiam praedicari, quod eandem ac di sortem nacta sit et viva et mortua.“ Deinde non obliviscamur oportet, h. l. sex versibus strophae, etiamsi illum versum retinemus, quinque tantum versus antistrophae respondere, ita ut unus versus deesse videatur et v. 838 omisso etiam maiorem lacunam hiare appareat. Versum igitur fere omnes editores retinent.

Permultas deinde Parisini lectiones Lipsius ex omnibus fabulis*), A. Seyffert ex Antigona**), R. Schneider ex Electra fabula***) afferunt, quibus, — quod negari non potest, — corrupta L. scriptura emendatur. Sed concedere nequimus, quod eidem viri docti illis locis probare student, codicem A cum paucis asseclis ex alio fonte atque ex L. originem duxisse. Ad quam sententiam refutandam illas lectiones breviter perlustrare opus erit.

Ac primum quidem ad diiudicandam nostram controversiam illi loci nihil valent, ubi L. scriptura metrum violat et Parisini lectionibus emendatur. Nam quamquam concedendum est, artem canticorum strophicam a grammaticis minime fuisse perspectam, id quidem parum credibile est, trimetri quoque usitatissimi vel tetrametri trochaici rhythmum ex sensu grammaticorum evanuisse. Demetrium Triclinium quidem saec. etiam XIV metrum curavisse docent scholia ad Ai. 715,†) ut iam H. Otte recte exposuit††). Vera autem lectio facile ex L scriptura elici aut ex verborum contextu sine ullo negotio inveniri potuit. Praeterea plerisque locis non solus A verum exhibet, ut imprimis A. Seyffert con-

*) de Soph. em. praes. p. 7—9.

**) l. c. p. 11 sq.

***) l. c. p. 442 sq.

†) Schol. in Soph. ed. Dindorf. II 347.

††) Jahresber. d. Philol. Vereins zu Berlin XVI, 1890, p. 392 sq. [Ztschr. f. d. Gymn.-Wesen 1890.]

tendit, sed etiam complures alii codd., qui certe ex L derivati neque ulla cognatione cum A coniuncti sunt, ita ut non abhorreat a probabilitate, medelam grammaticis vel librariis deberi. Dolendnm autem est, quod in Antigona fabula accurata collatione reliquorum praeter L et A codd. careamus, quamobrem argumentatio nostra non semper tam accurata quam volumus erit. Huc hi loci Antigonae pertinent, 1) ad metrum spectantes: v. 128 εἰσιδὼν L, „ἐσιδὼν recte in apographis" Ddf.*) | 162. πόλεως L, πόλεος A | 307. εἰς L, ἐς A | 640. ὄπιθεν L, ὄπισθεν A | 684. ὅσσ' L, ὅσ' A | 885. ἄξεσθ' L, ἄξετ' A | 920. θανάτων — κατασφαγάς L, θανόντων — κατασκαφάς „recte apographa omnia" Ddf. | 931. τοῖς L, „recte in τοῖσιν mutatum in apographis" Ddf. | 998. τῆς ἐμῆς σημεῖα L, σημεῖα τῆς ἐμῆς „verbis recte collocatis in apographis" Ddf. | 1025. οὐκ ἔστ' L, „οὐκέτ' ἔστ' recte in apographis" Ddf. | 1092. ἐπιστάμεθα L, ἐπιστάμεσθα A | 1228. ποῖον L, οἷον A |

2) ubi veram lectionem non difficile erat invenire: v. 193. τῶνδ' L, τῶν A | 302. ἤνυσαν L, ἤνυσαν A | 413. κεῖνον L, „κινῶν in apographis" Ddf., quod a plerisque editoribus in textum receptum est. νεικῶν Nauck et Semitelos, κεντῶν Hense coniecerunt. | 504. ἀνδάνει L, „ἀνδάνειν ex aliquot apographis" Ddf. | 643. ἀνταμύνονται L, ἀνταμύνωνται A | 656. πόλεως ἐκ πάσας L, πάσης A | 676. πιθαρχία L, πειθαρχία A. | 681. κεκλήμεθα L, κεκλέμμεθα A „et aliquot codd." Ddf. Haec scriptura facile ex scholiis restitui poterat, quae interpretantur: „εἰ μὴ τῆς φρονήσεως ὑπὸ τοῦ γήρως σεσυλήμεθα, λέγειν φρονούντως δοκεῖς περὶ ὧν λέγεις". Sed nescio an verum sit, quod Hartung. et Nauck. notionem νοῦ desiderant, quamobrem Hartung. τῶν φρενῶν, Nauck. εἴ τι μὴ φρενῶν βεβλάμμεθα coniecerunt. βεβλάμμεθα pro κεκλέμμεθα iam Schaeferus proposuerat. | 694. ἂν ἀξιωτάτη L, ἀναξιωτάτη A. Verum facile repertu erat ex v. 695 et ex φθίνει [Indic.!] | 697. ὑπ' ὠμιστῶν κυνῶν L, ὠμηστῶν A. ὠμησταὶ κύνες, οἰωνοί, ἰχθύες iam ex Homero noti erant. | 698. μήδ' LR, μήθ' A. Prius μήθ' iam in L v. 697 recte scriptum erat. |

*) Ddf. = Dindorfius in edit. III Oxon. 1860.

699. τιμαῖς L, γρ. καὶ στήλης L^Σ, τιμῆς A | 757. βούλει λέγειν τι καὶ λέγων μηδὲν κλύειν A, μηδὲν λέγειν LF. | 770. κατακτανῆναι L, „κατακτεῖναι ex apographis“ Ddf. | 782. ὅστ' L, „ὅς recte apographa“ Ddf. | 831. τάκει θ' L, τάθει θ' F, τέγγει θ' A | 863. „πατρῷαι L, recte in ματρῷαι mutatum in apographis“ Ddf. | 980. πατρὸς L, ματρὸς A. E., quod invenisse non magni acuminis erat, cum v. 981 pronomen fem. generis ἅ δὲ sequatur | 1027. ἄϊνητος L, „ἀκίνητος recte in apographis“ Ddf. | 1040. οὐ δὴ L, „οὐδ' εἰ recte in apographis“ Ddf. Vera lectio ex sequenti οὐδ' ὧς facile erui poterat. | 1068. βάλλειν, L, [ω a manu pr.]; βαλὼν A, quod ex schol., quae „ἀντὶ τοῦ ἔβαλες“ adnotant, et secundum participium aoristi κατοικίσας [v. 1069] facile restitui poterat. Ubique non solus A, sed complures alii codd. veram lectionem praebere videntur.

Nonnullis locis Oedipi Col., in qua fabula aliorum codd. lectiones melius novimus, veram vel probabilem lectionem non solum in A eiusque asseclis, sed etiam in codice l. reperimus, qui sine ulla dubitatione ex L derivatus est et cuius ab L discrepantiae summo iure grammaticis tribuuntur: v. 423. αὐτῶν LFKR²BT., αὐτοῖν AV³Rl. | 443. ἀλλ' ἔπου σμικροῦ L, ἀλλάπου mutavit man. rec.; eandem lectionem exhibet T., unde Jebb. recte suspicatur, illam ad Triclinium referendam esse. ἀλλ' ἔπους μικροῦ ARl, quod iam ex schol. [οἷον ἀντιλογίας βραχείας ἔδει ποιήσασθαι αὐτοὺς κτέ] facile peti poterat. | 1110. οὐδ' ὅταν LFB.T.Vat. Farn., οὐδ' ἔτ' ἂν ARl. | 1130. καί μοι χαῖρ' ὤναξ· δεξιάν τ' ὄρεξον L „nec multo secus F. Aliquanto melius B καὶ χαῖρέ μ' ὦ ʼναξ κτέ, ita fere T et Farn. [Elmsleius], καί μοι χέρ' ὦ ʼναξ ARl. | 1415. ὦ φιλτάτη τὸ ποῖον AV³Rl, τὸ omisit LFTFarn. et A quoque Campbellio teste. ὦ φιλτ. μοι ποῖον BVat.V², ὦ φ., ποῖον τόδ' coniecit Mekler [in edit. Lips. 1885] collato O. T. 571 | 1432 ἐμοὶ . . . ἥδ' L [litura post ἐμοὶ], ἐμοὶ μὲν ἥδ' F, unde conicere licet μὲν in L quoque primum scriptum fuisse. Item ARl. | 1669. φθόγγοις δὲ L et plerique codd.,

φθόγγοι σφε ARl. | 1725. ῥέξομεν AR.l., ῥέξωμεν L et rell. codd. metro invito.

Simillimi sunt hi loci: Ai. 28. τρέπει LPal.ΔV⁴Aug.b.; τρέπει, γρ. νέμει l.; νέμει τρέπει M: νέμει AEM²VV³RVat.a et c, et ut videtur G et Θ, si ex Dindorfii silentio concludere licet. Veram lectionem νέμει a grammatico aliquo in aliquo exemplari superscriptam fuisse et hoc modo in alia apographa transiisse, docent lectiones librorum l. et M. | El. 99. φοινίοι contra metrum LlG, φονίῳ AΔΘ. | El. 496. _⏑⏑ μήποθ' ἡμὶν κτὲ lacuna trium syllabarum in LlPal.G., μήποτε μήθ' Δ, μήποτε μήποθ' AEΘ Vindobon. et rell. codd. ut videtur; ἀδύ τι μήποθ' coniecit Dindorf. | El. 516. τρέφηι Ll, Pal. man. pr., Eustath. ad Hom. *B* 236 p. 168, ἐκτρέφῃ Suidae cod. A, στρέφῃ AEGΔΘ. Hunc locum iam antiquissimis temporibus corruptum esse scripturae apud Eustathium et Suidam exstantes docent, quamobrem verisimile est, veram lectionem στρέφῃ quae sine magna sagacitate ex verborum contextu inveniri potuit, a grammatico aliquo restitutam esse. | O. C. 170. ἔλθοι L et codd. plerique, ἔλθῃ [vel ἔλθη] ARV³. Optativum admiserunt Turnebus, Campbell., Sidgwick. [ad Aesch. Cho. Append. p. 122] cf. Jebb. ad h. versum et p. 273—275. | O. C. 945. κἄνανδρον L vel oculorum lapsu vel recordatione praecedentis ἄνανδρον [939]; item lBT.V., κἄναγνον recte AR.

Compluribus locis variantes librorum lectiones certissimum sunt documentum, grammaticos vel librarios corruptam codicis L scripturam emendare studuisse: Ai. 546. τοῦ τόνδε LVMl [man. pr.], τοῦτόν γε GPal.M²Vat. a. c.. Mosqu. a. b. Dresd. a. b., που τόνδε AV³M² [in margine] et „plerique codd. veteres“ Brunckii; Dindorfius τοῦτόν γε mavult et totum h. versum ab interpolatore insertum esse suspicatur | El. 1094. Praepositionem ante ἐσθλᾷ omiserunt LGV³M²E.Lc, ἐπ' ἐσθλᾷ lPal.ΔM Vindob. et libri Tricl., ἐν ἐσθλᾷ AVat. a. c. et „plerique codd.“ Brunckii | O. C. 138 [cf. I § 12.] ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν ἐγώ· LFlBVat.R² ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν (ἐγὼ superscr.) T [Triclin.];

et Farn. [om. ἐγὼ], ὅδ' ἐκεῖνος. ἐγὼ φωνῇ γὰρ ὁρῶ cum hac distinctione in AR.V³. Duas syllabas in L supervacaneas esse ex metro non difficile erat intellectu. Aut. ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾶν cum T, ut Elmsleius vult, aut ὅδ' ἐκ. ἐγώ· φωνῇ γὰρ ὁρῶ cum hac distinctione cum plerisque editoribus scribi poterat. Minus probabili distinctione in ARV³ sententia nostra confirmari videtur, illam mutationem ad grammaticum aliquem referendam esse. | Ant. 1108. ἴτ' semel scriptum in LETV Aug., οἵ τ' A, quod nullam probabilitatem habet; ἴτ' ἴτ' Dresd. a. [Tricl.], quod plerique editores in textum receperunt. ἀλλ' ἴτ' vel εἶ' ἴτ' Nauck., ἄνιτ' Mekler | Ant. 1196 πεδίον ἐπ' ἄκρων L, πεδίων ἐπ' ἄκρων lETAug.V. πεδίων ἀπ' ἄκρων Dresd. a., πεδίονἐπ' ἄκρον A et rell. codd. ut videtur. | O. C. 786. ἄναιτος LFR²R [c. gl. ἤγουν ἀναίτιος] B.T. Suidas. ἄναψος l, ἄνετος Vat. ἄνα(σ)τος? γρ. ἄναιτος ἤτοι ἀναίτος A teste Campbellio, ἄνατος rell. codd. et schol.

Cavendum deinde nobis est, ne codice A nimium tribuamus auctoritatis. Permulti enim sunt loci, ubi L lectiones nihil offensionis praebent neque ulla causa videtur esse, cur scripturam codicis A praeferamus. Sunt autem hi loci Antigonae: v. 29. ἄταφον ἄκλαυτον LlF [ἄκλαυστον mutavit man. rec. in L], ἄτ. ἄκλαυστον E, ἄκλαυστον ἄταφον A et cett. codd. Recte M. Seyffert*) verborum ordinem in L exstantem Kvičala**) et Ellendt-Genthe***) probantibus restituit, adnotans „non improbabile sibi videri consulto poetam nunc quidem, cum exaestuat recentis irae fluctibus, Antigonam fecisse ad rei diritatem exprimendam numeris usam concisis et praefractis.“ | 284. ὑπερτιμῶντας L, ὑπερτιμῶντες A. | 341. πολεῦον LlVLc, πολεύων A et rell. codd.; πολεῦον ab omnibus fere editoribus repudiatum, iure defendit M. Seyffert consentiente Kvičala l. c. [τοῦτο — χωρεῖ — περῶν — πολεῦον participia neutr. gen.] | 386. εἰς μέσον LFR, εἰς δέον A et rell. codd.; δέον coniectura a grammatico aliquo

---

*) in edit. Antig.

**) Ztschr. f. oest. Gymn. XVII p. 28.

***) Lexic. Soph. s. v. ἄκλαυτον.

secundum O. T. 1416 facta videtur. Illam probabilem esse concedunt, necessariam esse negant et εἰς μέσον defendunt. Kvičala et M. Seyff.; ἐς καλὸν Wecklinus*), αἰσίως Semitelos**), εἰς καιρὸν Nauck. proposuerunt. | 572. Αἵμων, quod L praebet, Nauck., M. Seyff., M. Schmidt. retinent, aliis editoribus Αἷμον, lectio rell. codd., inter quos A, magis placuit. | 575. ἐμοί LF, iure defendit M. Seyffert, quem sequuntur M. Schmidt. et Jebb., ἔφυ A et rell. codd. Wecklinus coniecit μένει, Meinekius κυρεῖ, Nauck. λύσων [pro παύσων] — μόνος. | 635. μου L, μοι A et cett. codd. Recte mihi M. Seyffert μου ex L revocasse videtur. | 760. ἄγαγε L, quod scholio quoque praefixum est. ἄγετε A et rell. codd.; ἄγε cum plurali sequente a Graecis omnibus temporibus inde ab Homero particulae instar [= agedum] ponitur, ita ut ἄγαγε quoque, quod M. Seyff. ex L restituit, verum videatur. G. Hermann.***) coniecit ἄγ' ἄγε, quod Wecklinus repetivit. | 894. Φερσέφασσ' LEDresd.a., Περσέφασσ' A.E [corr.]. Nauck., Bergk., M. Seyff., M. Schmidt., Jebb. summo iure L scripturam restituerunt. | 1098. λαβεῖν L, non λακεῖν†), λαβεῖν l [in margine λαχεῖν κρέον], Κρέον A et rell. codd.; M. Seyff. et Jebb. λαβεῖν ex L retinent probante Kvičala. | 1238. ῥοήν LlFAug.b., πνοήν A et rell. codd. M. Seyff., Nauck., M. Schmidt., Jebb. recte ῥοήν retinent, Dindorf. et Bergk. alteram lectionem malunt, quae in scholiis quoque exstat, unde in A aliosque libros transiisse videtur. | O.C. 381. καθέξων L et omnes codd. praeter unum A, qui καθέξον exhibet, quod praeeunte Brunckio omnes fere editores in textum receperunt. Sed in scholiis legitur καθέξων et Bergkio et Nauckio assentior, qui hanc lectionem praeferunt. Si verum est, quod Jebbius refert, in A καθέξον ex καθέξων factum esse, apparet vulgatam lectionem καθέξων a librario vel grammatico ex coniectura in καθέξον mutatam esse.

---

*) Ars Soph. emend. p. 5.

**) in edit. Antig. Athenis 1885.

***) Ant. ex rec. Erfurdtii ed. G. Herm. a. 1823.

†) cf. Jebb, in edit. Ant.

Huc accedunt loci, ubi veram lectionem iam in L reperimus: Ant. 541 ποιουμένην L, sed ν finale delevit man. pr. ut videtur. ποιουμένη omnes rell. codd. | El. 1483. κἂν ἐπὶ μικρὸν L κανσμικρὸν superscr. L^{Σ}. κἂν ἐπὶ μικρὸν lPal.G., κἂν σμικρὸν εἰπεῖν AEΔΘ et rell. codd. ut videtur.

Permultis locis cum L scriptura, tum Parisini A a Lipsio, A. Seyfferto aliisque commendata tantis laborat difficultatibus, ut loci si non desperati, at incerti et minus apti existimandi sint ad dirimendam de codicum rationibus quaestionem: Ant. 467. ἄθαπτον ηἰσχόμην L ἠνεσχόμην ὑπερεῖδον L^{Σ} in margine. ἠισχόμην l. ἠσχόμην Vat.b, ἰσχόμην ERTV[4]. ἠνεσχόμην R.Vat. ἠνειχόμην V. ἐσχόμην Eustath. ad Hom. Il. *E* p. 529, 20; ἴνσχόμην AV[3], quod Dindorfio, A. Seyfferto placuit, nullo apud Atticos exemplo confirmatur. G. Wolffii coniecturam ἄταφον ἀνεσχόμην Bonitz., M. Seyff., M. Schmidt laudaverunt. | Ant. 597. ἐρίπει LE. ἐρείπει A aliique codd.; ἐπείγει recte coniecisse videtur M. Seyffert. | Ant. 856. ἐκτείνεις LEVat., ἐκτίνεις, quod Dindorf. aliique ex A et rell. codd. in textum receperunt, h. l. minus aptum, sed vel ἐκτελεῖς, quod Donaldsonus, vel ἐκπονεῖς, quod Valkenarius ad Eur. Phoen. 1642 proposuit, scribendum videtur. | Ant. 1037. τὰ προ σάρδεων ἤλεκτρον L, ον manus pr. superscr. τὸν πρὸ κτέ. Vat.; τὸν πρὸς σάρδ. ἤλ. A.E.l. Dresd.a., Eustath. p. 368, 30. 1483, 27, Brunck., Dindorf. aliique in textum receperunt. Sed quaeritur num verum sit. Probabilior Nauckii coniectura videtur τἀπὸ Σάρδ., ἤλ., quam M. Seyff., M. Schmidt, Blaydes, Jebb, Campbell probaverunt. | Ant. 1118. ἰτάλειαν L; scriptura rell. codd. Ἰταλίαν a viris doctis iure in suspicionem vocata est. Unger Ἰκαρίαν, Bergk et Nauck Κιδαλίαν, M. Schmidt Φιγαλίαν, M. Seyff. φυταλίαν coniecerunt. | O. C. 327. δύσμορ' ὁρᾶν contra metrum LFR[2]RlV[2], δύσμορ' ἐσορᾶν BTVat.Farn., δύσμοιρ' ὁρᾶν solus A ut videtur. At forma δύσμοιρος nusquam alibi apud Graecos invenitur, sed semper δύσμορος [cf. v. 331] occurrit, quare num vera sit dubitari potest et Tricliniana coniectura

δύσμορ' ἐσορᾶν praeferenda videtur, quamvis *δύσμοιρ' ὁρᾶν* ab omnibus editoribus probetur. | O. C. 1640. *φρένι* ARl, *φέρειν* L et cett. codd. Utraque lectio magnas praebet difficultates, quare hic versus identidem a viris doctis coniecturis tentatus est, quas enumerare longum. Nauck. versum ut spurium delet. | Dubius quoque est El. v. 132, quem R. Schneider ad

δὲ

sententiam suam demonstrandam affert: *οὐδ' αὖ θέλω* L, *δὲ* a man. rec., *οἰ δ' αὖ θέλω* l, *οὐδ' αὖ θέλω* GΔPal. Aug. b. c. Jen., *οὐδ' 'θέλω* A ex *οὐδὲ 'θέλω* fecit man. pr., *οὐδ' ἐθέλω* E., *οὐ δ' ἐθέλω* probabiliter coniecit Buttmann.

Ex his quae disputavimus satis apparet, lectiones Parisini A eam vim non habere, quam Lipsius, A. Seyffert aliique iis vindicant, sed omnes eiusmodi esse, ut facillime a grammatico aliquo inveniri et ex apographo aliquo Laurentiani L in Parisinum A transferri potuerint.

Quam arte autem codex A cum L cohaereat, non solum vitia omnibus libris mss. communia demonstrant, de quibus iam supra diximus, sed etiam aliis aut propriis aut falsis lectionibus, in quibus A cum L congruit, probatur: Ai. 33. *κοὐκ ἔχω μαθεῖν ὅτου* et in margine *οὐκ ἔχω ὅπου μαθεῖν ἤ*

τ .*β*. .*ρ*.

ποῦ ἐστιν L, *ὅπου* l, *ὅπου, γρ. ὅτου* A | Ai. 215. *παθος* LA man. pr., *βάρος, γρ. πάθος* G. M. | Ai. 880. *ἄγρας* L, *γρ. ἕδρας*

ι

alia man. superscr., *ἄγρας, γρ. ἕδρας* AM. | El. 250. *εὐσέβεια* LAE [in L *ι* man. rec. superscr.] | O. T. 206. *προσταθέντα,*

τι

superscr. *προιστάμενα* LA [teste Jebbio] | O. T. 1016. *ὅθ-ὄνεκα* LA, litteram *υ* ante *ν* [i. e. *ὁθούνεκ'*] in L recte inseruit man. ant. | Ant. 53. *ἔπος* L, *πάθος* superscr. L^{Σ}, *πάθος, γρ. ἔπος* A man. pr. | Ant. 126. *ἀντιπάλωι — δράκοντι* LA

ου *ος*

[*ου* et *ος* in L a man. ant.] | Ant. 130. *ὑπεροπτίας* L *ὑπερ-*

της

όπτας superscr. m. ant., *ὑπεροπτιας* A | Phil. 1218. *ὁμοῦ*

ν
superscr. ἐγγὺς LA | Trach. 308. τεκοῦσα L, τεκοῦσα, γρ.
θ γῆ
τεκνοῦσα AR. | Trach. 1277. καινοπαγῆ L man. pr, καινοπαθῆ A man. pr., RV³. | El. 279. πατέρα τὸν * μὸν L. ἐμὸν lGΔPal.V.Vat. c., unde conicere licet, manum pr. in L. ἐμὸν scripsisse. ἀμὸν corr. man. recentior in L, * μον A, ἀμὸν corr. man. pr. ἄμον V³Vat. a. ἀμὸν E. | El. 809. φρενὸς οἴχηι LlGΔ et [qui οἴχει] Pal.; verba recte transposuit man. rec. in L. οἴχῃ φρενὸς A in litura! [cf. editio Jahnii], quare suspicari possumus, librarium φρενὸς οἴχῃ primum scripsisse.

Ai. 236. τάσδε LAGPal.Θ pro τὰ δὲ | 780. εἶπεν LAGΔ pro εἶφ', ut corr. man. rec. in L | 783. ἀνὴρ ἐκεῖνος L et A man. pr., 'κεῖνος, G, pro ἁνὴρ κεῖνος. | 830. κνσὶ LAPal. pro κνσὶν | 1058. εἴληχε LAGPal.Δ pro εἴληχεν | 1228. αἰχμαλώτιδος LA pro αἰχμαλωτίδος | 1240. κηρύξαι LA pro κηρῦξαι.

El. 57. φέροιμεν LAlEΔΘ, φέρωμεν G | 205. εἶδε LAlEΔ, οἶδε G, ἴδε Brunck. corr. | 396. εἰκάθειν LA et rell. codd., pro εἰκαθεῖν Elmsleius | 859. ἀρωγοί LAlEΔΘ Suidas, pro ἀρωγαί G, scholia | 991. καὶ τῷ κλύοντι contra metrum man. pr. in L, sed errore statim intellecto vocem τῷ tenui lineola delevit eadem man. pr. Qua lineola a librariis non animadversa lapsus ille calami in codd. AGl. transiit. cf. edit. O. Jahnii | 1076. πανόδυρτος metro obstante omnes codd., pro πάνδυρτος [Porsonus].

O. T. 180. θανατaφόρω (sic) LA teste Jebbio, in -φόρα corr. m. rec. in L, θανατaφόρα recte l.Pal.V. | 405. λεγλέχθαι LA teste Campbellio, pro λελέχθαι | 656. ἐκβαλεῖν LAGΘ, pro βαλεῖν, T. Suidas | 695. οὔρησας LAΔΘ, pro οὔρισας | 775. ἡγόμην LA, pro ἠγόμην | 1084. ἐκφὺς ὡς οὐκ L man. pr., A.M | 1111. πρέσβει(ς) L. ς falso erasum est [a manu pr.?], πρέσβει A. | 1170. ἀκούων LAΔΘ, pro ἀκούειν scholia | 1203. Θήβαις LA, pro Θήβαισιν l, Lips. a. | 1245. κάλει LA pro καλεῖ | 1436. ῥίψον μὲ LA, pro ῥῖψόν με | 1508. οἴκτισον σφὰς LA pro οἴκτισόν σφας.

Trach. 531. θρόει L. man. pr., AlVV³, θροεῖ Vat. et corr. m. ant. in L. | Trach. 954. αὖρα LAlKLcR pro αὔρα

B. T. | Trach. 1136. *μνωμένη* LA, pro *μωμένη* l | Phil. 1122. *πον* omisit L. man. pr., addidit L^{Σ}. *πον* omisit A. | O. C. 924. *ἐπιβαίνων* metro obstante LAlF, *ἐπεμβαίνων* B.T.Vat.V², *ἐπ' ἐμβαίνων* Farn. | O. C. 1525. *γειτόνῶν* L*), *γειτόνων* (superscript *ῶ̃ν*) A.

Hunc librorum L et A consensum in tot propriis lectionibus, quibus alii innumerabiles loci facile addi possunt, nemo unquam casui tribuet. Immo vero omnia quae attulimus argumenta sententiam nostram confirmare videntur, codicem A ex apographo Laurentiani L in levioribus vitiis a grammatico aliquo correcto derivatum esse.

Illud quoque facile refutari potest, quod A. Seyffert suspicatus est**), diorthotam qui dicitur [L^{Σ}], cum primae manus errores in L corrigeret, saec. XI eodem archetypo usum esse, ex quo postea saec. XIII Parisinus A profectus sit. Id ut parum credibile est, ita permultis locis redarguitur, quibus, ut iam Seyffert ipse concedit, Parisinus A non veram ab L^{Σ} in L superscriptam lectionem, sed falsam manus primae scripturam codicis L sequitur. Huc accedit, quod verisimillimum est, ut iam supra demonstrare studuimus, diorthotam et primum librarium codicis L unum eundemque fuisse et archetypo denuo inspecto correctiones et varias lectiones in L intulisse. Itaque aliquanto probabilius est, lectiones in L. superscriptas a librariis in apographis Laurentiani L conficiendis partim in textum receptas, partim neglectas esse, quo modo Parisini A aliorumque librorum indoles optime explicari potest.

Codex Parisinus A, ut haud paucis levioribus in rebus Laurentianum L superat, ita non solum omnia eadem graviora

*) cf. Jebb. in edit. ad h. l.: „Duplex erat lectio, *γειτόνων* et *γειτονῶν*. In L. pr. man. *γειτόνων* scripsit: deinde *γειτόνῶν* fecit non manus recentior [ut mihi quidem videtur] sed primus corrector S [i. e. L^{Σ}], qui in margine scholium adiecit utramque lectionem explicans: *εἰ μὲν βαρυτόνως γειτόνων, τῶν Θηβαίων· εἰ δὲ περισπωμένως ἀντὶ τοῦ γειτνιῶν, τὸ τάφος.* Consulto igitur accentum ancipitem reliquit, ut optionem lectori monstraret. *γειτόνῶν* pari modo B. R. T. [a correctore]."

**) l. c. p. 10.

vitia, quae L praebet, sed etiam aliis novis laborat erroribus, quos enumerare longum est. Itaque omnes viri docti consentiunt, inter codices Sophocleos huic libro cum aetate tum bonitate secundum post L locum tribuendum esse.

IV.

De codice Laurentiano 125 (G).

Codex olim bibliothecae abbatiae Florentinae [no 2725] hodie in bibliotheca Laurentiana asservatus [no 125] secundum subscriptionem ab Augustino clerico quodam a. 1282 scriptus est. Complectitur Aiacem, Electram, Oedipum Tyr., Philoctetam. Primum, ut videtur, a Dindorfio in usum vocatus est, qui eius lectiones in praef. editionis Lips. a. 1825 publicavit. Accuratius deinde ab H. Hinckio in Electra in O. Jahnii usum excussus est. Hinckius enim primus complures manus in codice versatas discrevit: primam manum, quae verba poetae cum scholiis exaravit [G] multosque lapsus calami correxit [G^1], varias deinde manus distinctu difficiles, quae primi librarii errores emendaverunt et nonnullas varias lectiones adscripserunt [G^2], manum denique recentissimam, quae hic illic pauca mutavit [G^3]. Quae manuum distinctio necessario opus est ad plenam codicis cognitionem atque ad diiudicandum, qua ratione ille cum aliis libris, imprimis cum codice L cohaereat. Nam correctionem, si a G^2 vel G^3 factam invenerimus, non ex vetere aut etiam vetustiore quam Laurentianum L. exemplari haustam, sed sive grammaticorum inventis sive inferioribus apographis tribuendam esse existimabimus. Quae res ab A. Seyfferto in eius dissertatione prorsus neglecta digna videtur, quam respiciamus. Dolendum autem est, quod quid unaquaeque manus scripserit, in Electra sola novimus et de aliis fabulis accurata collatione caremus.

De codice G tres exstant sententiae. Dindorf, M. Seyffert*) aliique illum ex L vel ex eius apographo aliquo repetendum esse iudicant. Lipsius aut ex eodem ac Laurentianum L

*) in editionibus suis.

archetypo*) aut ex huius libri apographo eum manasse opinatur.**) A. Seyffert denique ultra progressus codici G prorsus diversam ab L originem vindicandam esse censet.

Ac primum quidem A. Seyffert contra Dindorfium contendit, librum G non ex L, quippe qui minusculis litteris exaratus sit, exscribi potuisse, cum multi eius errores non explicari possint, nisi archetypum uncialibus litteris scriptum codicis G librarium ante oculos habuisse existimemus. Sed iam Kvičala, censor Seyfferti dissertationis***), illam argumentationem falsam esse, satis superque ostendit, ut eam amplius refutare nihil h. l. opus sit.

At A. Seyffert aliis deinde argumentis sententiam suam probare studet. „Non pauci“ inquit „inveniuntur loci, quibus L lectiones aut aperte corruptae emendantur aut sine dubio perverse commutatae corriguntur et in ordinem restituuntur u n i u s codicis G auctoritate.“ Sed contra dicendum est, ut iam Kvičala l. c. de nonnullis locis recte exposuit, permultas lectiones, quas A. Seyffert in u n o G veras exstare arbitratur, iam in L aut a scholiasta [L^{Σ}] aut a manu antiqua correctas ex hoc libro ipso vel nonnullis apographis interiectis in codicem G transscriptas esse posse. Neque enim causa est, cur non putemus, G aliosque libros mss. ex L eo demum tempore ductos esse, cum L non solum scholiis instructus, sed etiam a manu vel manibus antiquis et recentioribus emendatus sive depravatus erat. His autem locis veram lectionem iam in L a scholiasta vel a manu antiqua correctam reperimus: Ai. 379. *πάντων ἀεὶ* L. *ἁπάντων τ' ἀεὶ* a correctore; GPal.ΘMM².AVat. plerique. | Ai. 516. *ἀλλ' ἤ* L et pler. codd., *ἄλλῃ* Aug. b. et teste Campbellio G | *τέ με* L man. pr., *τε* a man. rec. erasum est. $\overset{\mu}{\tau\varepsilon}$ l. *τε* GPal. *με* A.Vat. a. c. M.M². Veram lectionem *τε* iam Lobeckius coniectura restituerat | Ai. 825. *λαβεῖν* LlΔM, *λαχεῖν* postea in

*) De Soph. em. pr. p. 13.
**) App. Soph. suppl. p. 3.
***) Ztschr. f. oest. Gymn. l. c.

L superscr., λαχεῖν [γρ. λαβεῖν] γέρας G. λαχεῖν A. Vat. a. c. alii. L scripturam λαβεῖν retinet M. Seyff. et G. Wolff, qui comparat Aesch. Pers. 215. θεοὺς αἰτοῦ τῶνδ' ἀποτροπὴν λαβεῖν.

El. 337. ποεῖν LGΔ, πο*εῖν l, ποιεῖν AEPal. A. Seyff. ad h. l. falso adnotat, L πνεῖν praebere | 421. τῶι L metro obst., γρ. ᾧ corr. in marg., τῶι (sic) l; τῶι G man. pr., ᾧ man. demum sec. in marg. add. teste Hinckio; ᾧ A E Vat. a. c. M². Cum τῷ non tam grammaticae leges, quam metrum, quod iambum flagitat, offendat, Bergk. τῷ verum et vocem praecedentem θαλλόν corruptam esse coniecit et κλῶνα, τῷ commendavit. | 922. φερηι L, accentus postea add. γρ. ἔφυς L$^{\Sigma}$, φέρῃ, γρ. ἔφυς l, φέρῃ plerique codd.; A. Seyff. de L et G scriptura falsum refert. | 956. κατοκνήσηις L l G Pal. Δ,
π
κατοκνήσεις A E aliique. | 1029. μάθης (sic) L M [π a man. rec. in L], μάθηις l, τε μὴ μάθης G. πάθης (sic) A E. Harl. Jen., πάθηις Vat. a. c. | 1222. προσβλέψασα L A E, Duebner., cuius testimonio A. Seyffert nititur, h. l. falso refert in L προσβλέψουσα legi, quod in l. invenitur; in G προβλέψασα corruptum est | 1471. φίλως L. l Pal., φίλο*ς mutavit man. ant in L., φίλος G. E., sed correctum a man. pr. in duobus
ως
libris, ut testatur Hinck., φίλον G teste Dindorfio ed. Lips. 1825.

O. T. 127. ἐγείνετο L, quod fortasse iam a manu pr. in ἐγίνετο correctum est. ἐγείνετο l Lc., ἐγίνετο GΔΘA, ἐγίγνετο restituit Brunck., ἐφαίνετο coniec. Nauck, Blaydes. | 332. ἐγώ τ' LA, sed οὔτε in duobus libris a correctore super-
ου
scriptum. ἐγώ τ' l Lc. ἔγωγ' οὔτ' Pal. ἐγώ τ' [γρ. ἐγ' οὔτ'] G. Ex sequenti οὔτε et ex verbis scholiastae [ἀπὸ κοινοῦ τὸ οὐ] iam apparebat, οὔτε — οὔτε scribendum esse. | 425.
σ
σοῖ (sic) τέκνοις L. Alterum σ in σοῖς exilius scriptum postea, fortasse iam ab L$^{\Sigma}$ additum videtur. σοῖς omnes codd. | 445. παρὼν . . γ' L erasis duabus litteris, γρ. σύ γ' in marg. man.

rec., *σύ γ'* GΔΘA plerique, *σύ γ'* [*γρ. τά γ'* in margine] E, *τά γ'* Lc, B. aliique, *σύ μ'* Vat. a., quod recepit Campbell. Totus locus suspectus et a viris doctis varie tentatus est. | 463. ... *ε πέτρα* L (? *εἶδε πέτρα*) in litura *εἶπε* man. pr. vel sec., *εἶδε* G, *πε* superscr. man. rec., *εἶπε* A alii | 635. *ἐπήρασθ'* L man. pr., in *ἐπήρατ'* male mutavit man. ant. vel rec., *ἐπήρασθ'* lGLcPal.VV⁴M., *ἐπήρατ'* AEM². | 657. *λόγον* L. *γω* i. e. *λόγῳ* superscr. man. ant., *λόγῳ* AE pler., *λόγων* lGV. | 1330. *ὁ κακὰ τελῶν ..... τάδ' ἐμὰ πάθεα* L. man. pr.; man. ant. primum *ὁ* in *α* mutavit et *ὁ κακ'* addidit [i. e. *ὁ κακὰ*], mox *ἐμὰ* ante *τάδ'*, sed ita ut magnum inter *τελῶν* et *ἐμὰ* intervallum remanserit. *ὁ κακὰ κακὰ τελῶν ἐμὰ τάδ' ἐμὰ πάθεα* lGΔΘA aliique. Alterum *κακὰ* omis. BETVV²V⁴. Priorem L scripturam sequuntur Pal. Lc. | 1373. *οὖν* L, *οἶν* corr. man. pr. vel ant., *οἶν* GA et rell. codd. | Phil. 1007. *ὥς μ' ἐθήρασω* L et omnes codd. ut videtur, *ὥς* (i. e. *γρ. ὅς*) G. *ὥς* Bergk., Nauck., M. Seyff. Campbell. retinent. *ὅς* Wakefield, Dindorf sine causa praeferunt | Phil. 1391. *σώ(?)ουσ'* L. *σώσουσ'* correxit L^{Σ}. *σώσουσ'* A et rell. codd. *σώσουσί σ' ὅρα* perperam G.

Multos deinde locos A. Seyffert affert, ubi verba poetae codicis G scripturis emendanda esse censet. Sed tantum abest, ut libri L lectiones reiciendae, ut G lectionibus iure praeferendae sint. Huc hi loci pertinent: **Ai.** 202. *Ἐρεχθειδᾶν* LA rell. codd., quod retinuerunt Bergk., M. Seyff., Campbell.; *Ἐρεχθειδῶν*, G, quod Dindorf et Nauck dorismum ab anapaestis alienum arbitrati in textum receperunt | 445. *αὖτ'* L. et rell. codd.; *ὧδ'* G solus, quam lectionem „plus acrimoniae habere“ A. Seyff. opinatur, tamen *αὖτ'* nihil offensionis habere concedit. Lectio *αὖτ'* h. l. multo aptior quam *ὧδ'* videtur et profecto nullus editor A. Seyffertum sequitur. | 488. *ἐν πλούτῳ* omnes libri praeter G, qui *ἐκ πλούτου* praebet, quam lectionem A. Seyff. sine causa commendat, quamquam eam „solutae magis orationis quam poetarum morem referre“ confitetur. |

742. τύχῃ L et plerique codd., τύχοι G. τύχῃ[οι] Mosqu. b., Lips. b. τύχῃ, quod praeeunte Hermanno a nonnullis editoribus reicitur, defendit M. Seyffert, citans Kruegeri Gram. Gr. I § 54, 17, 3. 4. et retinent Brunck, Elmsleius, Campbell. | 773. τότ' L et optimi libri; ὁ δ' GΔ, quod A. Seyff. mavult nullo probante editore. | 780. τοσαῦθ' omnes codd. praeter GΔ, in quibus τοιαῦθ' legitur, quod ab A. Seyfferto commendatum, a solo M. Seyfferto in textum receptum est. τοσαῦθ' cum omnibus aliis editoribus tenendum est. Parum recte enim A. Seyff. verba explicare videtur, dicens „pluris interesse, quid et qualia Calchas pronuntiaverit, quam quot verba fuderit." Sed τοσαῦθ' indicare videtur, vatem vix tot modo verba elocutum esse, cum iam statim Teucer nuntium emisit. Cf. v. 748 τοσοῦτον οἶδα. O. C. 1645. τοσαῦτα φωνήσαντος εἰσηκούσαμεν et permulti alii loci. | El. 518. γ' omisit solus G, quare A. Seyffert admiratione sua codicis G adductus illam particulam delendam esse censet; minime recte! Meliorem enim sensum verba poetae praebent, si γε tenetur. Clytaemnestra Electram increpat, eam absente Aegistho non in aedibus manere, sed foris versari et cognatas criminari. Electrae convicia Clytaemnestram eo magis offendunt, quia coram omnibus fiunt. „Aegisthus," inquit Clyt., „si adesset, te impediret, quominus foris quidem (γ') obiurgares." | El. 593. δ' omisit solus G. Causa non est, cur unum cod. G. sequamur, cum aliorum librorum scriptura ferri possit. | El. 918. νῶιν ἦν L; νῷν δ' ἦν lGAE, quod A. Seyffert Bergkium et Dindorfium secutus commendat, quod non probandum mihi videtur, praesertim cum iam in altera versus parte particula δὲ legatur.

O. T. 221. αὐτὸ LlΘM, αὐτὸς (γρ. αὐτὸ) G, αὐτῷ Δ, αὐτὸς AV³ Monac. 500. A. Seyff., Nauck, Jebb αὐτὸς praeferunt. Codicis L lectio nihil offensionis habere videtur. | 439. κἀσαφῆ omnes codd. praeter G, qui κοὐ σαφῆ, quod A. Seyff. sine iusta causa aptius putat. | 478. πετραῖος ὁ ταῦρος L. ῖο erasit et ὁ in ὡς mutavit man. ant. [πετρα..ς ὡς ταῦρος], πετραῖος ὡς ταῦρος MV, πέτρας scholiasta, πέτρας

ὡς ταῦρος A et pler. codd., πέτρας ἅτε ταῦρος coniecit Dorvillius, πέτραις G, quod A. Seyfferto placuit, nullus editor defendit. | 742. λευκανθὲς κάρα LA et pler. codd. „caput canitie decorum" plerique retinent editores. λευκανθεὶς G, quod Hartung, Dindorf, A. Seyff. proponunt, parum probabile est, cum χνοάζων in χνοάζον mutare cogat. | 789. θ' ἀθλίω vel δ' ἀθλίω L, duabus super ω litteris erasis, δ' ἄθλια a correctore. δ' ἄθλια A, ἀλλ' ἄθλια G, metro invito. δ' ἄθλια plurimi editores; δ' ἀθλίῳ tuentur Herwerden et Nauck summo iure, ut videtur. Nam cum infaustum oraculum duobus iam adiectivis [καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα] satis indicatum esset, personam cui oraculum datum est [ἀθλίῳ] addere consentaneum erat. | 1020. ἐγείνατ' omnes libri, ἐφύσατ' G solus, quod A. Seyffert sine causa praefert. | 1138. χειμῶνα LΔMM², χειμῶνος (γρ. χειμῶνι) G, χειμῶνι ATVV², χειμῶνι E Mon. 500. A. Seyff. ipse, quamvis χειμῶνος commendat, χειμῶνα [„per hiemem"], quod plerique editores dederunt, nihil offensionis habere fatetur.

Phil. 11. ἠΰζον (sic, i. e. ἰΰζων) G solus pro στενάζων. Non est causa, cur probabilem aliorum librorum lectionem reiciamus. | 29. κτύπος L Lc Vat. V³, τύπος (γρ. καὶ κτύπος) G, κτύπος (γρ. τύπος) R, τύπος l A. Codicis L lectionem κτύπος a nonnullis editoribus improbatam praeeunte Schneidewino et Hermanno tuetur M. Seyffert, monens vocem στίβος „incessum" [περίπατον scholia] significare et „Ulixis admonitionem [v. 30. ὅρα καθ' ὕπνον μὴ καταυλισθεὶς κυρεῖ] ad incessus sonitum, quem audiri neget Neoptolemus, non ad vestigii formam [τύπος] accommodatam esse". | 206. στίβου L, στίβον GV²T. Recte interpretatur Hermannus plerisque viris doctis assentientibus: „Re vera ad me accidit sonitus cuiuspiam gravi laboriosoque incessu ingredientis" | 482. ὅποι LA. ὅπου G. ὅποι [i. e. ἐκεῖσε ὅπου] summo iure editores retinent. De attractionibus eiusmodi cf. Krueger, Gram. Gr. I § 51, 10, 8. | 560. φέρεις G solus pro ἔχεις. A. Seyffert ipse L. aliorumque codd. lectionem h. l. et v. 482 praeferendam esse concedit. |

736. βοᾶς (γρ. καλεῖς) G solus; rell. codd. καλεῖς, quod aptius est quam βοᾶς. | 1120. ἀρὰν ἀρὰν LlA, iure defendit M. Seyffert; semel scriptum est in GVat.Vat. b. | 1399. πέμψειν solus G pro πέμπειν, quod ab omnibus editoribus probatum non est causa cur reiciamus.

Deinde A. Seyffert admodum errat, cum p. 27 dicit, haud paucis locis corruptas L lectiones unius codicis G auctoritate emendari. Nonnullis enim locis non G solus, sed multi alii codices, quos proprius ad L quam ad G accedere constat, veram vel probabilem lectionem praebent: Ai. 597. ἁλίπλαγκτος LAV. Eustath. p. 306, 19 „pontivagus“ vel „mari iactatus“ ut Aesch. Prom. 466 θαλασσόπλαγκτα ναυτίλων ὀχήματα. ἁλίπλακτος „mari pulsatus“ „meerumspült“ ut Aesch. Pers. 307. θαλασσόπληκτον νῆσον Αἴαντος, recte G Δ Vat. a. c. MM². | El. 516. τρέφῃ LlPal.pr., στρέφῃ GΔΘAE cf. p. 42. | O. T. 942 in L et A legitur: πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πόλυβος; ΑΓΓ: εἰ δὲ μὴ | 943. λέγω γ' ἐγὼ τἀληθὲς ἀξιῶ θανεῖν. In G, Δ, libris Triclin., Aug. b (qui γέρων): πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκε Πολ. γέρων; | εἰ μὴ λέγω τἀληθ. κτέ. | ὦ γέρον proposuit Bothius. Librarii vel grammatici antiquissimis iam temporibus versum 942 mutilum in libris invenientes vocibus εἰ δὲ μὴ sequentis versus 943 inepte expleverunt et versum 943 addito „γ' ἐγώ“ reparare conati sunt. Sic transierunt versus in codices L et A. Posteriore tempore has ineptias intelligentes grammatici alio modo, ut GΔAug. b, Tricl. libri docent, hos versus sanare studebant, quae scriptura utrum optima an a poeta scripta sit, iure dubitari potest. Aptius Nauckius emendavit Dindorfio [in Poet. Scen. Gr.] et Jebbio probantibus: 942 πῶς εἶπας; ἦ τέθνηκεν Οἰδίπου πατήρ; v. 943 recc. librorum lectio probabilis videtur. | O. T. 1492 δεῖ L, δ' ἡ m. rec., δὴ A et pler., ἡνίκα δὴ G contra metrum. | Phil. 139. γνώμας LVVat. b. T., γνώμα γνώμας GlBR., γνώμα A. Harl. Vat. plerique. γνώμα a Brunckio restitutum iam in scholiis legitur: ἡ γὰρ τέχνη καὶ ἡ γνώμη τῶν βασιλέων προὔχει τῶν ἄλλων τεχνῶν. | Phil. 688. κλύζων falso LAVV³ κλυζόμενος l,

κλύων, quod iam Canterus coniecerat postea inventum est in G Vat. V⁴. In G *κλύζων* superscriptum est. | Phil. 772. L *μεθεῖνε* pro *μεθεῖναι* exhibet et cum R *ταῦτα* omisit. Omnes rell. codd. veram lectionem *μεθεῖναι* habent, quae facillime ex praecedentibus verbis erui poterat.

Permultas lectiones, quas A. Seyffert ad diversam ab L originem codicis G demonstrandam affert, eam vim non habere, etiam Lipsius et Kvičala concedunt, quamquam summa in re eandem fere atque A. Seyffert sententiam amplexi sunt. Ita enim comparatae sunt, ut ad veram scripturam ex L lectione eliciendam non magna sagacitate opus fuerit. Eiusmodi loci autem hi sunt: **Ai.** 469. *εὐφραίναιμι* L, *εὐφράναιμι* GA alii | 493. *ᾗ συναλλάχθης* Ll, *ἧς συνηλλάχθης* A, *ᾗ συνηλλάχθης* recte GΘ. | 621. *ἔπεσ' ἔπεσεν* LA et pler. codd., deinde *μελέ*οις* L. *έ* ex *ει* facto. *ἔπεσ' ἔπεσε* [recte] *μελαίοις* [perperam] G. | 667. *Ἀτρείδα* L, *Ἀτρείδας* recte A. *μαθησόμεθ'* [perperam] *Ἀτρείδας* G. | 783 *ἀνὴρ κεῖνος* scribendum est. *ἀνὴρ ἐκεῖνος* L, A m. pr. *ἀνὴρ 'κεῖνος* G. | *ἄχεσι* L. *ἄχεσιν* recte GΘA.

El. 57. *φέροιμεν* LlAE. *φέρωμεν* G, quod iam Brunckius restituerat, priusquam in G. inventum est. | 75. *ἀνδράσι* LlAE. *ἀνδράσιν* G. | 295. *αἰτίαι* L l. *αἰτία* GAE. | 491. *ἐρινῦς* L, *ἐριννύς* mutav. m. ant., *ἐριννύς* AE. *ἐρινύς* G. | 514. *ἔλειπεν* LA plerique, quod defendi potest; *ἔλιπεν* GΔ Aug. c. Mosq. b, Mon. 500. | 859. *ἀρωγοί* LlAE Suidas, *ἀρωγαί* scholia, G. | O. T. 598. *αὐτοῖς* L [non *αὐτούς*, ut Duebner refert], *αὐτοῖσι* G. — *ἅπαν* L Pal. tres Vatic., *ἅπαντ'* AEVMV³, *πᾶν* lG. Codicis L lectionem nihil aliud offensionis habentem nisi versum ita in sex partes dispertit, ut singula verba cum versus pedibus concidant, iure aspernantur editores *αὐτοῖς* in *αὐτοῖσι* immutantes. | O. T. 1030 *σοῦ δ'* G unus, *σοῦ γ'* rell. codd. quod Brunck, G. Hermann, Blaydes defendunt.

Phil. 23. *τόνδ' ἔτ' ἄλλῃ* L. *τόνδ' γ' εἴτ' ἄλλῃ* A et plerique. *εἴτ' ἄλλῃ* [omisso *τόνδε γ'*] G. *τόνδ' ἔτ' εἴτ'* coniecit Elmsleius Dindorfio M. Seyfferto probantibus | 200. *χρήν* L, *χρῆν* corr m. pr., *χρῖν* LcRV², *χρῆναφ'* l, *χρῆναι* GA aliique |

308. κἄπου LR, καί που A, καί που [γρ. ἤ που] G. | 414. ἀλλ' omissum in L exhibent G A Vat. Vat. b. Num rectum sit dubitari licet. Aptius proposuit M. Seyffert*) probante Nauckio: πῶς εἶπας; ἦ γὰρ χ' οὗτος κτέ. | 1192. προὔφανες LA et pler. codd., προὔφαινες GVat.

Duo restant loci, in omnibus libris prorsus corrupti, in quibus codicis G quoque lectio parvam aut nullam habet probabilitatem: Ai. 601. Ἰδαῖα μίμνω λειμώνι' ἄποινα, μηνῶν | ἀνήριθμος αἰὲν εὐνώμᾳ κτέ sic emendavit locum desperatum Hermannus. ἰδαία μίμνων λειμωνίᾳ ποίαι μήλων . . . . . . L⊿Pal. [c. glossa τρωικῇ], l [qui μίμνῳ]; — μίμνων — πόα — G. ἰδαίᾳ μίμνω — ποίᾳ — MM². | O. T. 200. τὸν ὦ πυρφόρων L, ο m. rec. superscr., πυρφόρον A alii, τᾶν ὦ πυρφόρων G, γρ. μικρὸν superscripto, quo πυρφόρον indicatur. Librarius τὸν in τᾶν mutavit calami lapsu, ut videtur, non antiquum archetypum secutus, ut A. Seyffert opinatur. — Syllabam longam deesse docet versus antistroph. 213. Hermann. igitur suadet τὸν ὦ τᾶν πυρφόρων. Sed parum apte Iupiter ὦ τᾶν invocari videtur. Magis placet Lachmanni coniectura [chor. syst. p. 128] τὸν ὦ Ζεῦ πυρφόρων.

Videmus igitur codicis G scripturas, quibus A. Seyffert diversam ab L originem huius libri demonstrasse sibi videtur, omnes eiusmodi esse, ut nulla causa obstet, quominus codicem G si non ex L ipso, at ex aliquo eius apographo, nunc deperdito, a grammaticis vel librariis partim correcto partim depravato repetamus.

Sed unum argumentum restat, quod ad contrariam sententiam confirmandam a Lipsio, A. Seyfferto aliisque semper teritur et quod primo obtutu magnae auctoritatis speciem habere videtur, sed si rem accuratius anquiviserimus, minus valebit. Dindorfius enim iam in praef. ad scholiorum Soph. editionem [a. 1852] p. V retulerat, scholia vetera in G

*) Ztschr. f. d. Gymn.-Wesen vol. 17, p. 588.

pleniora quam in aliis libris exstare, L non excepto. Quam rem explicatius exposuit Papageorgius*), qui ex illo argumento de scholiis quidem originem codicis G ab aliis libris diversam colligendam esse censet. Sed libri G scholia, si cum L scholiis comparamus, addendo, detrahendo, immutando ex L scholiis derivata reperiemus. Corrupti L scholiorum loci in G quoque falso traduntur et id quod in L minus clare scriptum est, in G omnino non legitur. Scholia autem, quae unus G exhibet et quae vetustiorem originem prae se ferre videntur, praecipue ad Aiacis versus priores 150 pertinent, quod non est, cur miremur. Nam omnes qui codicem L inspexerunt, consentiunt et ex facsimili ab Anglis edito manifesto apparet, in L permultas litteras in prioribus Aiacis fabulae paginis longo annorum spatio prorsus oblitteratas et in exteriore margine duorum priorum foliorum parvam membranarum particulam abscissam esse, ita ut permulta scholia ad complures Aiacis versus deperdita sint.**)

Antiquo autem tempore quo codicis G archetypum ex L ductum est, L integrum fuisse veri est simillimum. Praeterea multis indiciis satis certo colligi potest, quod iam Dindorfius recte monuit, Ioannem Tzetzen in redigendis codicis G scholiis versatum esse. Itaque non abhorret a probabilitate, illa scholia vetera codicis G, quae in L non inveniuntur, ad illum grammaticum referenda esse. Nam etiamsi ille grammaticus Byzantinus multa perverse novavit, tamen alios libros hodie deperditos, ex quibus veterem doctrinam haurire potuit, ei praesto fuisse, suspicari debemus.

Nullum adhuc argumentum a viris doctis prolatum videmus, quod sententiam nostram, codicem G ex L uno vel compluribus apographis interiectis deductum esse refutet. Quam arta autem necessitudine L et G cohaereant, docet magna duorum librorum in veris et in falsis scripturis consensio, quae iam a Lipsio in Oedipi Tyr. versibus trecentis prioribus explicata exemplis aliarum fabularum hic ostendatur.

---

*) in commentatione s. l. „Kritische und palaeograph. Beitr. ect.“
**) Papageorg., Cod. Laur. p. 404 sqq.

ut tandem aliquando A. Seyfferti sententia a multis probata prorsus reiciatur: **Aiax**, v. 169. *ὑποδδείσαντες* LGVM, in L *δ* prius deletum nescitur a quo | 199. *κακχαζόντων* LG, in L *καγκαζόντων* corr. man. rec. | 294. *ἔληξα* LGPal.Θ, in L erasit *α* manus nescitur quae | 314. *κύροι* LG teste Campbellio [pro *κυροῖ*] | 482. *τῆς αὐτοῦ* LG pro *τῆς σαυτοῦ*, ut corr. man. recentissima in L | 496. *τελευτήσεις* LGlV, pro *τελευτήσας*, ut corr. man. sec. vel tertia in L | 499. *δούλιον* LG, *δουλίαν* corr. man. recentissima in L. | 565. *εἰνάλιος* LGΔ pro *ἐνάλιος* | 591. *ἀκούουσι* LGΔ pro *ἀκούουσιν* | 598. *πᾶσι* LGΔΘ pro *πᾶσιν* | 679. *ἥμην* LGΔΘVV³Vat.MM² alii, man. rec. in L *ἡμῖν* corr., *ἥμιν* A, *ἡμῖν γρ. ἡμὴν* (sic) l. | 689. *ὑμῶν ἅμα* LGMVAug.b, *ὑπέρμεγα* superscr. L^{Σ}; scribendum est *ὑμῖν ἅμα* | 699. *κνώσια* LGΔ pro *Κνώσι'* | 1245. *κεντήσεσθ'* LGΔ; in L alterum *σ* recte erasum est nescitur a quo | 1349. *κέρδεσι* LG, *ν* add. man. rec. in L. | 1374. *σ'* omisit LGΔ, add. m. ant. in L | 1380. *ἀνδράσι* LGΔPal. pro *ἀνδράσιν*.

El. 61. *μὲν ὡς οὐδὲν* LlG Suidas, *ὡς* recte delevit man. sec. in G. | 63. *δόμοις* LG, *δόμους* corr. m. ant. in L | 157. *οἷα* LlG pro *οἵα*. | 169 *ἔπαθεν* LGlPal.Δ, *ἔπαθ'* in L postea corr. | 198. *προφητεύσαντες* LGPal., *προφυτεύσαντες* corr. m. sec. in L | 129. 226. *γένεθλα* LGPal.ΔV., *γενέθλα* corr. m. rec. in L. | 285. *αὐτήν* LGlE pro *αὑτήν* | 482. *ἀμνηστεῖ* LGΔ, *ἀμναστεῖ* recte lAE. | 534. *δὲ* LGlPal., *δὴ* corr. m. rec. in L | 554. *ὕπερ* LGlPal.Δ, pro *γ' ὕπερ* AE, vel *θ' ὕπερ* Tricl. | 588. *ἐμὸν* LGlPal.VM, *ἀμὸν* corr. man. rec. in L | 590. *βλαστῶντας* LGlPal., *βλαστόντας* AE. | 966. *αὐτῶι* LGl, *αὑτῶι* AE et postea corr. in L | 1024. *τοιαύτην ὅῦν* LGl, *τοιαύτη νοῦν* AE et postea corr. in L. | 1029. *μάθης* (sic) LG, *μάθηις* l, *πάθης* (sic) AE et corr. in L. | 1083. *αἰσχύναι* LGl, *αἰσχῦναι* postea corr. in L. | 1124. *ἐπαιτεῖ* LG, *ἐπαιτεῖται* corr. in L | 1141. *ξένηισι* LGl pro *ξέναισι* AE | 1148. *προσηνδόμην* LG, *προσηυδώμην* AEl et corr. m. ant. in L. | 1177. *Ἠλέκτρα* LG, *Ἠλέκτρας* AEl et corr. in L. | 1193. *σ'* omis. LG, praebet AEl et corr. in L. | 1196. *πᾶσι* LGPal.Δ,

πᾶσιν l A et corr. in L | 1226. χεροῖν L G l Pal. Δ M Vat. a., χερσίν recte AE, γρ. καὶ χερσί superscr. m. ant. in L | 1325. ἀπώσετ' LG, ἀπώσαιτ' corr. m. ant. in L. | 1362. σ' om. LGPal., postea additum in L | 1415. διπλὴν LG, διπλήν l.; διπλῆν A E et postea corr. in L | 1462. μὴδὲ (sic) L G l pro μηδὲ. | 1481. ἐσφάλου L G l Pal. E, ἐσφάλλου corr. in L a man. rec. | 1502. ἔρπε L G l Pal. Δ V, ἕρφ' A E et corr. in L.

Phil. 10. κατείχετ' L G l R pro κατεῖχ' | 316. ἀντάποιν' L G l Lc B Vat. V² pro ἀντίποιν' | 465. ἤκῃ L, ἥκει G pro εἴκῃ | 901. ἔπαισεν LG pro ἔπεισεν | 924. τὰ om. L G. | 1146. πτηναὶ L G pro πταναὶ | 1322. εὔνοιάν σοι λέγων L G pro εὐνοίᾳ λέγων. | 859. ἀλέῆς (sic) L G l. | cf. Ai. 1000. μένων LG pro μὲν ὢν | cf. El. 99. 496 [p. 42]. Ai. 236. 780. 1058. O. T. 656 [p. 47]. El. 238. 371. 572. 730. 1190 [cap. VI].

Quanta codicis G cum L similitudo sit, ex nonnullis locis optime perspicitur, ubi in utroque libro eaedem variae lectiones vel ipsis verbis poetae superscriptae vel in margine additae sunt: Ai. 50. μαιμῶσαν L. γρ. καὶ διψῶσαν L$^{\Sigma}$; μαι-
ξ
μῶσαν, γρ. διψῶσαν G. | 1053. ἄγειν L, ἄγειν, γρ. ἄξειν G. | 1056. ὡς ἕλοι δόρει L, γρ. ὡς ἐλοιδόρει L$^{\Sigma}$. ὡς ἐλοιδόρει
α
(γρ. ὡς ἕλοι δόρι) G. | 1020. σμικρὸν L. μικρὸν, γρ. μικρά G. | cf. Ai. 215 [p. 46]. 825 [p. 50. 51].

El. 204. ἔκπαγλ' ἄχθη LG. ἔκπαγλ' πάθη L$^{\Sigma}$ scholia
ον
cod. G. [γρ. πάθη m. sec. in marg. | 885 ἄλλης L ου a man.
ου ῆς ης
rec.; ἄλλης G. | 1449. τε φιλτάτων L. τῆς φιλτάτης, γρ. τῶν φιλτάτων G.

ο
O. T. 200. πυρφόρων LA, πυρφόρων, γρ. μικρὸν [i. e. πυρφόρον] G. | 375. βλέψαι L, βλάψαι superscr. m. ant.;
α
βλέψαι G | 463. εἶδε L m. pr. εἶπε corr. altera manus, ut videtur; εἶδε G. πε [i. e. εἶπε] superscr. m. sec. | 957. σημήνας L,

γρ. σημάντωρ L^{Σ}; σημήνας γρ. σημάντωρ G. | 1401. ὅτι L. γρ. ὅταν L^{Σ} in marg.; ὅτι γρ. ὅταν G. | Phil. 1052. χρήζων L γρ. κρείσσων L^{Σ}; χρήζων γρ. κρείσσων G. | Phil. 1401. λόγοις L. γρ. γόοις L^{Σ}; λόγοις γρ. γόοις G.

Pleraeque lectiones variantes a manu secunda vel tertia demum in G illatae videntur, quod in Electra quidem certum est, qua in fabula Hinckii opera ubique de variis manibus nobis constat.

Itaque si verum est, quod disputavimus, codex G cum L arta necessitudine coniunctus et ex eiusdem apographo aliquo a grammaticis sive emendato sive depravato, nunc deperdito exscriptus est. Nam ad librarium ipsum, qui illum librum exaravit, illas mutationes referendas esse, minime credibile est, cum eum neglegenter et minus sagaciter in libro versatum esse inveniamus. Codex G igitur non optimae quidem, sed tamen melioris notae liber cautione adhibita non spernendus est, praesertim cum scholia nonnulla integriora exhibeat.

V.
De codice Laurentiano XXXI, 10 (l).

Codex bibliothecae Laurentianae plut. XXXI liber X, vulgo Lb vel L^2, a Iahnio aptius littera „l" signatus, a viris doctis, qui eum examinaverunt, saeculo XIV tribuitur. Ab uno librario diligenter exaratus et ab eodem, ut videtur, correctus et additamentis instructus est. Continet omnes septem fabulas eodem atque L ordine. Collatus est ab Elmsleio a. 1820 in omnibus fabulis, diligentissime in Oedipo Col., ab Hinckio in O. Iahnii usum in Electra, ab Subkoffio a. 1876 in Trachiniis.*)

Si lectiones codicis L et l comparamus, librum l innumerabilibus locis mirabilem in modum in eo, quod L cum verum, tum proprium et vitiosum habet, cum L consentire primo obtutu intellegimus. Quae inter utrumque librum

*) cf. Armin. Metlikovitz, De Sophoclis codice Laurentiano plut. XXX, 10. In Dissertatt. philol. Vindobon. II p. 213—302, quae dissertatio mihi praesto non fuit.

similitudo tanta est, ut Dindorfius*) et Kvičala**) codicem l ex L ipso descriptum esse contenderint. Illum utriusque libri consensum iam a Lipsio exemplis ex Oed. Col. desumptis demonstratum***) iam in codicibus A et G satis perspeximus†) atque aliis nonnullis memorabilibus locis illustrare liceat.

x
Ai. 768. κατασστήσαιτ' Ll [x superscr. m. ant. in L] | Ai. 1075.
ρ o
ἄχοιτ' [i. e. ἄρχοιτ'] Ll. | El. 168 ἐλάθεται Ll. | El. 414.
ον
σμικρῶι Ll. | El. 1007 om. L, add. L^{Σ} in marg.; om. l, add. m. pr. in marg. | El. 1426. μήκέτ' [sic] Ll pro μηκέτ' | El. 1485. 86. om. L, add. m. ant. in marg.; om. l, add. m. pr. partim in litura scholii | Ant. v. 837 habent LlR Vat. E, om. A. | O. C. 726. ἐγώ L. κυρῶ superscr. L^{Σ}. ἐγώ κυρῶ l solus. | Phil. 859. ἀλέὴς (sic) LlG.

Saepe accidit, ut l primam vel secundam manum codicis L sequatur et correctiones a manu antiqua vel recentiore in L factas hic illic tantum respiciat, unde colligi potest, codicem l vel eius archetypum ex L illo tempore transscriptum esse, quo L nullas aut paucissimas illarum posteriorum correctionum expertus erat. — Sed non desunt loci, ubi codex l lectiones ab L discrepantes, modo veras, modo falsas praebeat. Falsas lectiones hic enumerare nihil interest, sed his locis L falsam, l veram vel probabilem lectionem exhibet: Ai. 292. αἰβὰ L. βαιὰ lG. βάι' (sic) A | Ai. 716. θυμὸν L V V^3 Pal. Vat. R, θυμόν τ' A, θυμῶν l | cf. El. 1094 [p. 42] | Trach. 783. ἄνευ φωνῆς ἐν LTK, ἀνευφώνησεν lAV, ἀνηυφήμησεν corr. Dindorf ex schol. Eurip. Troad. 573 et Hesych. | Trach. 1021. θύραζ' ἔν L, θ supra ζ a man. pr., θύραθεν l | Trach. 1136. μνωμένη L,

*) ed. III Oxon. praef. ad. Ant. p. III.

**) Ztschr. f. oest. Gymn. vol. 17 p. 29.

***) De Soph. em. praes. p. 14.

†) cf. Phil. 515. 614 [p. 35]. 1381. 1390 [p. 37]. El. 99. 496. 516. Ai. 546. O. C. 138 [p. 42]. Ant. 29. 341 [p. 43]. O. C. 327 [p. 45]. El. 57. 205. 859. 991. Tr. 954 [p. 47]. O. C. 924 [p. 48]. Ai. 825. [p. 50]. El. 956. 1471 [p. 51].

A, vulgo. μωμένη, quod recte coniecerat Heathius, Subkoffius iam in l invenit. | O. C. 525. κακᾷ μὲν εὐνᾷ L et cett. codd., κακᾷ μ' εὐνᾷ solus l recte. | O. C. 692. οὐδ' αὖ LFR², οὐδὲ A R, οὐδ' ἁ recte l B.Vat. | O. C. 739. εἰ σπλεῖστον L, εἰ πλεῖστον F R², ἢ πλεῖστον A B T Vat., εἰς πλεῖστον solus l recte. | O. C. 1125. τουτό γ' L F metro invito, τόδ' l, τό γ' editores | O. C. 1131. τ' ἢ (sic) θέμις L, θ' ἦ θέμις B T Vat. Farn., τ' εἰ θέμις recte l A R. Eosdem codices l A R veram, L cum reliquis libris falsam lectionem O. C. 423. 443. 1110. 1130. 1415. 1432. 1640. 1669. 1725 habere, iam supra [p. 41] monstravimus. *)

Accedunt permultae aliae discrepantiae, quarum tantus est numerus, ut minus probabiliter, quod Elmsleius**) aliique voluerunt, librario semidocto, qui l exaravit, tribuantur. Nihilo magis credibile est, quod iisdem discrepantiis adductus, Lipsius suspicatur***), codicem l ex Laurentiani L archetypo originem traxisse. Neque enim hoc modo illae variae lectiones satis explicari possunt. Praeterea L ineunte saec. XI scriptus videtur, codex l saec. XIV i. e. tribus saeculis post, quo tempore Laurentiani L archetypum deperditum fuisse verisimile est. — Vero propius Hinckius†), quem sequitur Schneiderus††), coniecit, librum l ex apographo aliquo [λ] codicis L derivatum esse. Id quidem nulli dubitationi obnoxium videtur, quin in codice l praeter Laur. L etiam alius liber mss. adhibitus fuerit. Complures enim loci in l exstant, ubi variae lectiones plerumque cum sigla γρ. adscriptae sunt, quae neque in L vel in alio nostrorum librorum inveniuntur, neque a librario excogitatae, sed maiorem quidem partem ex alio libro ductae videntur: Ai. 35. χερί, γρ. φρενί l. | 63.
ῶ
κομίζεται, γρ. κομίζει l | 95. στρατὸν l | 402. ὀλέθριον codd.;

*) cf. Lipsius l. c. p. 7. 8. cf. O. T. 180. 1203 [p. 47].

**) praef. ad O. C. p. III.

***) p. 15.

†) „De libris L et l disputatiuncula" apud Iahnium in El. edit.

††) Fleckeis. annall. vol. 115 p. 447.

ω
in l ὀλεθρίως superscr. | 405. φθίνει codd. φθίνει l | 925. post τάλας addidit l ἰακῶς ἐᾴκεις ἄρ' εὔδηλος ἦς. | 1000. μένων LG. μένων [γρ. μὲν ὢν recte] l. | 1113. ἐπώμοτος L. m. pr. ἐνώμοτος a man. multo recentiore; ἐπώμοτος l, in marg. ἐπώνυμος | Ant. 1098. λαβεῖν L, λαχεῖν E, Κρέον A et pler., λαβεῖν l, in marg. λαχεῖν κρέον.

Ut postremo libri l auctoritatem breviter definiamus, hic codex, cum fons, ex quo maximam partem fluxit, Laurentianus L nobis servatus sit, parvi pretii est ad Sophoclem emendandum et hic illic tantum respiciendus, ubi L scriptura dubia vel oblitterata est.

VI.
De codice Palatino 40 (Pal.).

Eadem fere necessitudine, qua codex l cum L coniunctus est codex Palatinus 40 bibliothecae Heidelbergensis, saec. XIII vel XIV scriptus, qui Aiacem, Electram, Oedipum Tyr. continet. Primum a Bothio, accuratius a tribus sociis seminarii philologici Heidelbergensis collatus est, quorum collationem Lud. Kayser in actis seminarii a. 1839 publicavit.

Magnam inter L et Pal. similitudinem iam a Lipsio perspectam*) ex locis iam supra descriptis cognoscere possumus Cf. Ai. 28. El. 496. 516 [p. 42]. Ai. 236. 830. 1058 [p. 47]. El. 956. 1471 [p. 51]. O. T. 635 [p. 52]. Ai. 294. 1380. El. 169. 198. 129. 226. 534. 554. 588. 590. 1148. 1196. 1226 [p. 59]. 1362. 1481. 1502 [p. 60].

Hic illic Palatinus Laurentiano L aliisque libris peccantibus veram scripturam, quamvis minutis in rebus saepe solus vel cum paucis libris exhibet: El. 238. ἔβλαστεν LlGΔΘ, ἔβλαστ' recte Pal. A E. | 371. αὐτῇ L l G A E. αὕτη recte Pal. | 572. αὐτοῦ LlGAE. αὑτοῦ recte Pal. | 684. δρόμου LAΘ, δρόμον Pal. l. G. | 730. Κρισσαῖον L l G A Δ Θ, Κρισαῖον Pal. | 1190. καθύπερθε LlGAE, καθύπερθεν Pal. | 1304. λεξαίμην L γρ.

*) l. c. p. 13.

βουλοίμην βραχύ man. rec., *βουλοίμην* A E V³ M M², *βουλοίμαν* l, *βυυλόμην* G, *δεξαίμην* recte Pal. V⁴. | Ai. 381. *κακοπινέστατον* LM, *κακοπινέστατοντ'* (sic) Pal. | cf. El. 1094 [p. 42]. O. T. 180 [p. 47].

Compluribus aliis locis Palatinus scripturam ab L diversam praebet, modo cum hoc, modo cum illo codice, saepius cum l et G in veris et in falsis lectionibus conspirans. Sed omnes huiusmodi lectiones ita comparatae sunt, ut non ex antiquioribus exemplis ductae, sed grammaticorum inventis tribuendae videantur. Neque causa est, cur propter eas censeamus, quod Lipsius l. c. p. 13 suspicatur, Palatinum cum l et G ex Laurentiani L archetypo derivatum esse. Multo verisimilius videtur, Pal. ex L, uno vel compluribus L apographis interiectis, fluxisse. Ut rem paucis complectar, Palatinus liber, si non maioris et peculiaris pretii, tamen melioris quidem notae est neque contemnendus.

VII.
De tribus apographis Laurentiani L (F R² K).

Ex L ipso sine ulla dubitatione tres libri derivati sunt, quorum primus bibliothecae Parisiensis, chartaceus, no 2886, littera F signatus, saec. XV vel ineunte XVI Iani Lascaris manu scriptus esse dicitur et Antigonam, Oed. Col., Trach., Phil. continet. Praeterea insunt Aeschyli Prometheus, Septem, Persae, Eumenides, Supplices. Primum collatus est a Faehsio, accuratius in Oed. Col. ab Elmsleio et in Ant. a Mieskowsky Petropolitano in usum Wexii. Et Sophoclis et Aeschyli fabulae, quae in hoc libro insunt, ex L descriptae videntur. Veluti Aesch. Persarum v. 547—558 in L a manu pr. omissi et a manu sec. [ut nos iudicamus ab eadem manu pr.] in margine adscripti hoc in Parisino omnino non inveniuntur. Occurrit praeterea maxima codicis huius cum L similitndo, cf. Ant. 757 [p. 41]. 29. 386 [p. 43]. 575. 1238 [p. 44]. O. C. 327 [p. 45]. 924 [p. 48]. 692. 1125 [p. 63]. 423. 1110. 1130. 1415. 1432. [p. 41]. 138 [p. 42]. 786 [p. 43]. O. C. 351. *δεῦρ'*

ου
L F R² l pro δεύτερ' | 450. λάχωσι L F R² | 467. κατέστιψας L F R² l pro κατέστειψας | 591. παρήεσαν L F R² (in L ex παρίεσαν) | 608. θεοῖς L F R² pro θεοῖσι A R | 620. λόγον recte L F R² B, χρόνον A | 640. Οἰδίπου L F R² l, Οἰδίπους ceteri | 689. ἐπινίσεται L R² l F [superscr. σ] pro ἐπινίσσεται B T Vat. Farn. | 713. εἴσας L F R² l pro εἶσας | 785. οἰκήσης (sic) L et a man. pr. F, οἰκήσεις R², pro οἰκίσῃς.

Iam ex his quae attulimus exemplis satis apparet, alium quoque codicem, R², Laurentiano L simillimum esse. Est autem codex Riccardianus 77 [Ricc. b. vel Rb vel R²] bibliothecae Florentinae saeculi XV qui omnes septem fabulas continet, sed mutilus est cum aliis locis, tum in Oed. Col. post v. 854. Adhibitus est ad Oed. Col ab Elmsleio, qui iam observaverat, hunc librum ex L derivatum esse. Hi quoque loci id praeterea testantur: O. C. 652. σ' om. L R² B. | 744. ἀλγῶ om. L R², superscr. corrector in L | 758. ἡ δ'
οι
L. l. R² ἥδ' rell. codd. | 779. φέρει L R² | 780. τῆσδ' ἡδονῆς L R². τῆσ δέ γ' ἡδονῆς T. B. Vat. Farn. | 781. σοὶ L R² pro σὺ | 818. σε L [superscr. οι] R² pro σοι.

Tertius codex, qui ex L ipso fluxisse videtur, est Parisinus 2887, chartaceus, saeculi XIV a Subkoffio in Trach. a. 1876 excussus et littera K signatus. Nam Trach. vv. 177. 445. 536. 705 in L primo a librario omissi et postmodum ab L^{Σ} in margine suppleti, in K prorsus negliguntur et lectiones codicis K originem ex L prae se ferunt. cf. Trach. 954 [p. 47]. 783 [p. 62]. 69. ἄροτρον LK pro ἄροτον | 97. τούτωι καρύξαι L K R² l pro τοῦτο καρῦξαι | 277. μόνον L K pro μοῦνον | 313. οἶδε L K R² V² pro οἶδεν | 491. γ' om. L K l | 558. Νέσου L K T. Νέσσου A. rell. | 698. κατέψικται L K l T pro κατέψηκται A B | 730. ἐστιν L K l T pro ἐστ' | 733. μαστήρ in L supra versum a m. pr. scriptum, in K omissum et margini adscriptum est. | 799. αἶρον L K pro ἆρον | 897. ἔλευσες L K l pro ἔλευσσες A B. | 932. ὁ παῖς om. L K l.

VIII.

De inferioribus aliquot libris ad L familiam pertinentibus (Δ M M²).

Eadem fere condicione, qua libri l, Pal., G, ex L per unum alterumve apographum fluxerunt aliquot libri mss. saeculi XIV tres priores tantum fabulas continentes, ex quibus maxime cum L G vel cum L Pal. G in veris et in falsis congruit codex Δ. Hic liber, olim bibliothecae abbatiae Florentinae 2788, hodie Laurentianae codex 41 est. Lectiones eius publicavit Dindorfius in editione Lipsiensi a. 1825. Ut iam supra demonstravimus in vitiis conspirant libri L Δ: El. 57. 205. 859. O. T. 1170 [p. 47], L G Δ: Ai. 565. 591. 598. 679. 699. 1245. 1374. 1380 [p. 59]. 780 [p. 47], L Pal. G Δ: Ai. 1380. El. 169. 129. 226. 554. 1196. [p. 59]. 1226. 1502 [p. 60]. 238. 730 [p. 64]. 809. 1058 [p. 47].

Saepissime Δ cum G in eis quoque lectionibus consentit, quae in hoc uno libro inveniuntur, ita ut ex eodem atque codex G archetypo aut ex codicis G apographo descriptus videatur. G Δ exhibent: O. T. 20. *ἀγοραῖς* pro *ἀγοραῖσι* | 55. *ἀνδράσι* pro *ἀνδράσιν* | 307. *ἀνελθεῖν* pro *ἂν ἐλθεῖν* | 380. *τυραννὶς* pro *τυραννί* | 382. *παρ' ἡμῖν* pro *παρ' ὑμῖν* | 436. *εὔφρονες* pro *ἔμφρονες* | 614. *δείκνυσι* pro *δείκνυσιν* | 733. *κληΐζεται* pro *κλῄζεται* | 1032. *μαρτυρήσειε* pro *μαρτυρήσειεν* | 1052. *καὶ μάστευες* pro *καὶ μάτευες* vel *κἀμάτευες*. | 582. *καὶ* omiserunt. Alii loci apud Dindorfium l. c. conferantur. Sed cum codex Δ praeterea innumerabilibus suis propriis mendis scateat, nullius pretii est ad Sophoclem recensendum neque dignus, qui amplius tractetur.

Laurentiani L familiae deinde adscribendus est codex bibl. Ambrosianae Mediolanensis G 56 sup., littera M signatus, qui a Ceriano Italo in Campbellii usum, sed non ubique accurate collatus est. Quin M ex apographo codicis L derivatus sit, nullam dubitationem relinquunt hi loci Aiacis: 127. *ὑπέρκομπον* l Pal. G M M² pro *ὑπέρκοπον* L | 198. *ἐν εὐανέμοις* L G Δ M, *ἐν δ' ἀνέμοις* A, alii. | 221. *αἴθο.νος* L una littera

post *αἴϑο* erasa, *αἴϑωνος* G Pal. M pro *αἴϑονος* A M² Δ Θ | 245. *τοι κρᾶτα* L M² Vat. a. c, *τοι κράτα* l G M V V³, *τοι* omis. A et rell. | 789. *ὅς* L m. pr. M pro *ὡς*, ut corr. m. rec. in L | 1011. *ἵλεων* L l G Pal. V M, *ἴδιον* A et rell. codd., quod in L m. rec. superscr. | 1160. *παρῇ* L, *πάρα* a man. rec. et A V³ M² Vat. a. c., *παρῇ* l G Pal. Δ M. | 1230. *ἐφρόνεις* L l Pal. G Δ M V, *ἐφώνεις* A V³ M² Vat. a. c et in L a man. rec. | 1284. *ἦλϑ'* *ἐναντίος* L Pal. G M, *ἦλϑεν ἀντίος* A M² Vat. a. c. et M in marg. | 1339. *οὐκ ἂν* L l Pal. G Δ M M², *οὐκ οὖν* A V³ Vat. a. c. | 1357. *ἡ ἀρετή* L m. pr. Pal. G Δ M V, *ἡ ῥετή* A V³ et m. rec. in L. | 1369. *γ'* omis. L l Pal. G Δ M V Vat. a. | cf. 546 [p. 42]. 205 [p. 46]. 825 [p. 50]. 597 [p. 55]. 169. 679. 689 [p. 59]. El. 1029 [p. 51]. 1226 [p. 60].

Saepe codd. M et Δ concinunt, veluti O. T. 297. *οὐξελ(λ)έγχων* L, *ὁ ξελέγχων* Δ M, *οὐξελέγχων* G, *οὐξελέγξων* A E V² V³, *οὐξελέγχων* B T V V⁴. | 837. *προσβῆναι* M Δ pro *προσμεῖναι* | 857. *γὰρ* M m. pr. Δ pro *ἂν* | 940. *ἐν δόμοις* M Δ pro *ἐν τάφοις* | 950. *ἡδίστης* M Δ pro *Ἰοκάστης* | 1267. *ἔκειϑ' ἡ* M M² Δ, *ἔκειϑ' ὁ* L G A E, *ἔκειτο* corr. m. ant. in L.

Difficilius est iudicium de codice M² eiusdem bibl. Ambrosianae L 39 sup. ab eodem Ceriano collatus, qui compluribus vitiis cum L cohaeret, aliis haud paucis propriis lectionibus cum A eiusque asseclis consentit. Quas lectiones enumerare nihil interest, cum codd. M et M² libri inferioris notae neque ullius momenti sint in textu constituendo.

IX.

De anonymi cuiusdam et de Demetrii Triclinii recensione atque de codicibus, qui utramque sequuntur.

Iam Elmsleius in adnot. ad O. C. 7*) observavit IV codices mirabili modo secum consentire utpote ab eodem archetypo derivatos. Sunt autem 1) Parisinus 2787 [B]

*) quam repetivit Dindorf in praef. ad Ant. p. VIII [ed. III Oxon.]

saec. XIV vel XV, O. T., Trach., Phil., O. C. continens. 2) Vaticanus 287 [Vat.] olim Palatinus, saec. XIII vel XIV Ant., O. C., Trach., Phil. continens. 3) Parisinus 2711 [T.] saec. XV, 4) Farnesianus II F 34. [Farn.] saec. XIV vel XV, in quibus omnes septem fabulae insunt. Ex his IV mss. Elmsleius ad unam O. C. fabulam plus quam 120 scripturae diversitates collegit, quae omnes paucis exceptis in his solis libris inveniuntur. De huius recensionis auctore nihil coniecit, sed recte monuit, „vehementer falsum iri, qui eundem meliores libros quam L et A habuisse suspicaretur."

Accuratius eandem rem tractavit Lipsius*), qui diserte docuit, saepissime codices B et Vat. solos concordare, ita ut ad unum archetypum referendi sint. Tertium illis Hermanni iudicio accedere Venetum 616 [V²] omnes fabulas continentem. In eandem societatem venire codicem Augustanum b saec. XIV et Parisinum 2884 [E] saec. XIII vel XIV, quorum uterque Ai., El., O. T., Ant. exhibet. Hos V libros mss. ex communi archetypo esse repetendos et hoc archetypum ipsum ex recensione ortum esse critici cuiusdam ignoti, quem Thomam Magistrum fuisse Schneidewinus suspicatus sit.**) Compluribus exemplis Lipsius demonstravit, L praecipuum critici illius fontem fuisse. Cum nemo contradixerit, in illa sententia acquiescendum puto, praesertim cum accurata illorum librorum collatione careamus et sententia ipsa summam habeat probabilitatem. Thomam enim Magistrum re vera Sophoclis fabulas recensuisse, postea a G. W.[olffio] confirmatum est***) ex codice Neap. Borb. II 734, in quo legitur „*διορθώθη παρὰ τοῦ σοφωτάτου Μαγίστρου*".

Huius anonymi recensione Demetrius Triclinius, ut Lipsius iudicat, ad Sophoclem recensendum usus est. Hic grammaticus saeculi exeuntis XIV vel ineuntis XV plurimas illius ignoti critici lectiones in suam recensionem recepit, alias ex aliis codicibus hausisse, nonnulas denique de sua

*) de Soph. em. praes. p. 17 sqq.

**) Annal. Philol. vol. 67 (1853) p. 500.

***) Litterar. Centralbl. 1860 p. 491. 92.

coniectura addidisse videtur. Compluribus textus et scholiorum locis antiquam scripturam ab anonymo repudiatam restituit, sed haud paucis locis imprimis carminum melicorum, quae secundum suas metricas rationes reformare studebat, novis lectionibus textum depravavit. In O. C. Lipsius 90 mutationes Triclinii computavit, quarum 12 vel 13 tantum recentioribus editoribus probantur. Recte autem Lipsius adnotat, omnes has emendationes eiusmodi esse, ut meliorem librum, quam quos nos habeamus, Triclinium adhibuisse non existimemus oporteat.

Optime Triclinianam recensionem cognoscimus ex codice T. Eiusdem fere vestigia sequuntur codex Farn. et, qui tribus postremis fabulis [O. C., Trach., Phil.] caret, Dresdensis a (183).

X.

De aliquot libris mss. cum Parisino A arte cohaerentibus [R V^3 E O Θ].

Parisino A Riccardianus 34 [R, vulgo Ra] et Venetus 467 [V^3], qui omnes septem fabulas complectuntur, tam similes sunt, ut ex A ipso vel per unum alterumve apographum derivati videantur. Ricc. R bibl. Riccardianae Florentinae codex 34 in membranis saec. XIV scriptus ab Elmsleio praecipue in Oedipo Col. et a C. Fr. Webero in usum G. Hermanni et a Subkoffio in Trach. collatus est. — Venetus V^3 bibl. Marcianae codex 467 chartaceus in 8°, saec. XIV ut videtur scriptus ab Im. Bekkero in usum Hermanni et a Jebbio inspectus est. Magnam codicum R et V^3 cum Parisino A similitudinem in nonnullis versibus Oedipi Col. ostendere satis erit. A R V^3 praebent has lectiones: 34. *αὑτῆς ϑ'* — *αὑτῆς* omisso *ϑ'* L l | 47. *οὐδὲ μέντοι* — *οὐδ' ἐμόν τοι* L l | 70. *ἆρ' ἄν* — *ἆρ' οὖν* L et rell. codd. | 71. *μολεῖν* — et Suidas s. v. *καταρτίζω*, *μόλοι* L et cett. codd., utramque lectionem agnoscit scholiasta | 122. *προσφϑέγγου* — *προσπεύϑου* L et rell. | 335. *αὐϑόμαιμοι* — *αὖϑ' ὅμαιμοι* L

et rell. codd. | 375. *θρόνον* — *θρόνων* alii | 426. *πόλιν* pro *πάλιν* | 429. *ὕμνον* — *ὕμνον* alii | 476. *βαλὼν* pro *λαβὼν* | 565. *οὐδέν'* — *οὐδὲν* L, plerique | 587. *οὐκ ἀγὼν* — *οὐχ ἄγων* L man. pr., *οὖν ἄγων* L^Σ | 603. *ἐξαναγκάζει* — *ἐξαναγκάσει* L et rell. codd. | cf. 423 [p. 41]. 170. Ai. 28. 546 [p. 42]. O. C. 138 [p. 43]. Trach. 1277 [p. 47].

A R consentiunt his lectionibus: O. C. 48. *γ' ἂν* omis. | 91. *κάμπτειν* pro *κάμψειν* | 219. *ταχύνατε* — *ταχύνετε* L et pler. codd., *τάχυνε* Elmsleius coniecit | 266. *τάδ' ἔργα* — *τὰ γ' ἔργα* rell. | 434. *ἔζη* pro *ἔζει* | 459. *τῇδε τῇ* — *τῇδε μὲν τῇ* L F R² l, *τῇδε μὲν* T B et editores plerique | 479. *τρισσάς τε* — *τρισσάς γε* rell. | 488. *σύ τ'* — *σύ γ'* L V³ et cett. codd. | cf. p. 41. 42.

Proxime quoque ad Parisinum A accedit codex Parisinus 2884, in quo quattuor priores tragoediae [Ai. El. O. T. Ant.] insunt. Praecipue in Electra accurate collatus est a Prinzio in Iahnii usum. In Antigona fabula L Campbellius ex Hug. Campbellii collatione illas lectiones, quae memorabiles videbantur, in editione sua publicavit. Hic. liber, bombycinus. saec. ut videtur XVI. neglegenter scriptus cum a librario ipso, tum ab alio correctore correctus est. In Electra quidem paucis tantum locis E ab A discedit.*) Maior discrepantiarum inter utrumque librum numerus in Antigona videtur esse. Etiamsi magna earum pars certe errori librarii tribuenda est, tamen permultae ad archetypum codicis E referantur oportet. E quidem habet Ant. versum 838 in Parisino A solo omissum [cf. p. 38] et exempli gratia pono haec ex Ant. 93. *ἐχθρανῇ* L E, *γρ. ἐχθαρῇ* man. ant. in marg. L, *ἐχθαρῇ* A | 229. *κεῖ*

*) Erravit Schneider cum Annal. Phil. 115 (1877) p. 447 sqq. contenderet, tribus tantum locis [v. 28. 364. 890] codicem E cum A discrepare. ct. v. 41. *ἡμὶν* A. *ἡμῖν* E l G | 75. *νώ* A G, *νῷ* E, *νῶι* L l | 142. *ἀνάλυσις ἐστὶν* E G, *ἀνάλυσίς ἐστιν* rell. — *οὐ δὲ μία* E l G, *οὐδεμία* rell. | 192. *ἀφίσταμαι* L, *ἀμφίσταμαι* l, *ἐπίσταμαι* A G Vat. a. c. M² V³ et m. rec. in L, *ἐπίεμαι* E | 279. *κατέκτανε* E G, *κατέκτανεν* rell. | 291. *μηδέ* E G, *μῇ δέ* L, *μὴ δέ* l A | 618. *προσεικότα* E, *προσηκότα* L l G Suidas, *προσήκοντα* A. | 1094. praepositionem omittunt L G E, *ἐν* A et plerique, *ἐπ'* l, Vindob.

recte L, *εἰ* E, *καὶ* A | 235. *πεπραγμένος* L A, *δεδραγμένος*
φαρ
schol., *δεδραγμένος* E, *πεφραγμένος* Vat. Aug. b | 504. *ἁνδάνει* L F1 Lc D C E Aug., *ἁνδάνειν* recte AV³ rell. | 1275. *λακπάτη* L, *λακπάτητον* L^{Σ}, *λὰξ πάτητον* E, *λεωπάτητον* [*γρ. λαοπάτητον*] A | cf. 643 [p. 40]. 681 [p. 41]. 29. 1108. 1197 [p. 43]. 1098 [p. 44]. 467. 597. 856 [p. 45]. — Sed innumerabilibus aliis locis, quos enumerare longum est, codex E plane cum A concinit, ita ut hic liber, quantum quidem nunc cognosci potest, propius ad A quam ad L accedere videatur. Lipsius, ut iam supra diximus, iudicat, codicem E cum nonnullis aliis libris [B, Vat., Aug. b] ex recensione anonymi cuiusdam profectum esse.

Eiusdem fere condicionis atque Parisinus E, sed melioris notae est codex Bodleianus Auct. F. 3. 25 vel Laud. Misc. 99 vel Bodleianus 2929 bibl. Bodleianae Oxoniensis, littera O signatus, qui praeter alia tres priores Sophoclis fabulas [Ai. El. O. T.] continet et saec. XIV videtur scriptus esse. Quo de libro accurate disseruit et complures memorabiles lectiones eiusdem ad Electram pertinentes publicavit Io. Massonius in disputatiuncula, quae Sophoclis editioni a Campbellio curatae addita est (vol. II, 1881, p. XIII sqq.). Codex O modo cum L contra A, modo cum A contra L stat et medium quendam locum inter utrumque librum tenere videtur. Saepe hic liber, ut Massonus testatur, meliores lectiones quam Parisinus A exhibet, ita ut codex, Massoni quidem iudicio, non contemnendus sit, etiamsi ad textum emendandum fere nihil conferre videtur. Certius de O tum demum iudicari poterit, cum hic liber in omnibus tribus fabulis accurate excussus erit.

Nec dissimilis Parisino A et, ut Massonus contendit, Bodleiano O quoque videtur esse codex olim bibl. abbatiae Florentinae 2817, nunc Laurentianae 71 [*Θ*], chartaceus, tres priores fabulas continens et saec. XIII. vel XIV. scriptus, cuius lectiones Dindorfius in edit. Lipsiensi a. 1825 sed parum plene vulgavit. Itaque praestat cohibere iudicium, dum melius hic liber innotuerit.